

quod nefas est dici, clericus, aut sacerdotalis presumptus, ab omnium Christianorum consortio se noverit compescendum, &c. *Matisc. c. 15. Meldens. cap. 73.*

C A P U T VII.

I. q. I. c. 12. Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumunt, quanto magis eos, qui ad vitia proni sunt. Nulla ergo communio ultra sit Hebreis ad fidem Christianam translati cum his, qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participio subvertantur. Quicumque ex his infidelium consortia non vitaverint, & hi Christianis donentur, & illi publicis cædibus deputentur. *Tolet. IV. c. 61. Toler. VIII. cap. 12. Burch. lib. 4. cap. 84. Ivo lib. 1. tit. 2. cap. 67. panorm. C part. I. c. 278. decr.*

C A P U T VIII.

Interdictum est juxta capitula sanctorum Patrum, ut nemo Christianorum cum (*Judæis*) manducet, & bibat, vel quidquid comedi, aut potari potest, a Judæis accipiat: „Nimis enim“, juxta quod ait Cæsarius Arelatensis ecclesiæ Episcopus: „indignum est, atque sacrilegum eorum“ cibos a Christianis sumi, cum ea, quibus nos fruimur, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiunt esse Christiani, quam Judæi“. Et omnes eorum convivas, ipse, & sanctus Syagrius Æduorum Episcopus cum aliis multis excommunicaverunt. *Meten. cap. 4. Agathens. 40.*

T I T U L U S X.

NE JUDÆI IN FERIIS PASSIONIS, ET
RESURRECTIONIS CHRISTI IN
PUBLICUM PRODEANT.

C A P U T I.

De Judeis c. 15. Gr. IX. c. 1. eod. tit. in 4. coll. *Esaia, 51.* **I**N diebus lamentationum, & Dominicæ Paschæ quod nonnulli ex ipsis talibus diebus sicut acceptimus, ornatius non erubescunt incedere, ac Christianis, qui lacrassimæ Passionis memoriam exhibentes, lamentationum signa prætendunt, illudere non formidant. Illud autem distictissime inhibemus, ne in contumeliam Redemptoris profili aliquatenus præsumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobriū, qui probra nostra delevit, præcipimus, præsumptores hujusmodi per Principes sacerdotes condignæ animadversionis adjectione compesci, ne crucifixum probemus aliquatenus blasphemare. *Inn. III. in conc. Later. c. 68.*

C A P U T II.

Judæi a die coenæ Domini, usque in secundam sabbati in Pascha, hoc est, ipso quatriuo procedere inter Christianos, neque catholicis populis se ullo loco, vel quacumque occasione miscere præsumant. *Aurel. III. c. 29. Meld. 73.*

C A P U T III.

Judæi, a coena Domini, usque ad primam diem post Pascha, secundum edictum bona recordationis domini Childeberti Regis per plateas, aut forum quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegerunt, & ut reverentiam cunctis sacerdotibus Domini, vel clericis impendant: nec ante sacerdotes confessum, nisi ordinati ha-

bere præsumant. Qui hoc facere fortasse præsumperit, a judicibus locorum, prout persona fuerit, distingatur. *Matisc. c. 14. Meld. c. 73.*

C A P U T IV.

Childebertus Rex Francorum. Judæis a coena Domini usque in primum Pascha per plateas, aut forum quasi insultationis causa deambulandi licentia denegerunt. *Apud syn. Melden. d. c. 73.*

T I T U L U S XI.

NE CHRISTIANI JUDÆORUM FERIAS
AGANT, NEVE ALIO MODO EORUM
RITIBUS FAVEANT.

C A P U T I.

Si quis Episcopus, presbyter, diaconus Pascha ante aequinoctium vernum cum Judæis celebraverit, deponatur. *Apost. c. 7. G. 8. L.*

C A P U T II.

Si clericus, vel laicus ingrediatur synagogam Judæorum, vel hæreticorum ad orandum, deponatur, & excommunicetur. *Apost. c. 65.*

C A P U T III.

Episcopus, presbyter, diaconus, clericus ieiunans cum Judæis, vel festa celebrans, vel xenia festorum ab eis accipiens, ut azyma, vel aliud quid, deponatur, laicus excommunicetur. *Apost. cap. 70.*

C A P U T IV.

Si Christianus oleum offerat * in templo Genitilium, vel in synagoga Judæorum in eorum festis diebus, aut lucernas incendat, excommunicetur. *Apost. c. 71.* * deferat.

C A P U T V.

Admonere placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos a Deo percipiunt cum gratiarum actione, a Judæis benedici, ne nostram irritam, & infirmam faciant benedictionem. Si quis fecerit, ab Ecclesia abiiciatur. *Elib. c. 49.*

C A P U T VI.

Episcopus, presbyter, diaconus, qui contra Nicæni concilii decretum Pascha cum Judæis celebret, deponatur, & qui cum eo jam deposito communicat. *Ant. c. 1.*

C A P U T VII.

Qui sabbato vaçant, ut Judæi, anathema Christo sint. *Laod. c. 29.*

C A P U T VIII.

Non oportet a Judæis, vel hæreticis munera missa festiva accipere, neque cum eis festos dies agere. *Laod. 37. Meld. c. 73.*

C A P U T IX.

Non oportet a Judæis azyma accipere aut communicare cum impietate eorum. *Laod. cap. 38. Meld. cap. 73.*

C A P U T X.

Superstitionibus Judaicis, vel feriis inhærentibus, a conventu Ecclesiæ separandum. *Carthag. guriis, c. 11. IV. cap. 89. Burch. lib. 10. cap. 7. Ivo lib. 8. tit. 6. cap. 4. panorm. C part. II. c. 35. decr. Tarr. lib. 4. cap. 73.*

C A P U T XI.

Tanta est quorundam cupiditas, ut quidam eam appetentes, juxta quod ait Apostolus, et iam a fide erraverint. Multi quippe ex sacerdotibus, ac laicis accipientes a Judæis munera, perfidiam

fidiam eorum suo patrocinio sovent, qui non im-
merito ex corpore Antichristi esse noscuntur,
quia contra Christum faciunt. Quicumque ergo
deinceps Episcopus, clericus, sacerdalis illis con-
tra fidem Christianam suffragium, vel munere,
vel favore praestiterit, ut profanus, & sacrilegus
anathema effectus, ab Ecclesia catholica, & re-
gno Dei habeatur extraneus, quia dignus est, ut
a corpore Christi separetur, qui inimicis Christi
patronus efficitur. *Tolet. IV. cap. 57. Meld. 74.*
Vid. Tolet. VIII. c. 12.

C A P U T XII.

<sup>28. q. 1. Nul-
lus. 13.</sup> Nemo clericus, vel laicus azyma apud Judæos
comedat, aut cum eis habitet, aut eos in morbis
volet, aut ab eis medicinam accipiat, aut in bal-
neis cum eis lavet. Sin minus, clericus depona-
tur, laicus excommunicetur. *Trull. cap. 11. Ivo
part. 13. c. 116. deer. Cœf. lib. 8. c. 102.*

T I T U L U S XII.
NE JUDÆI CHRISTIANOS USURIS
VEXENT.

C A P U T I.

<sup>De usur. cap.
18. Gr. IX. c.
3. cod. tit. in
4. coll.</sup> **Q**uanto amplius Christiana religio ab exa-
ctione compescitur usurarum, tanto gra-
vias super Judæorum perfidia insolevit, ita quod
brevi tempore Christianorum exhaustant facul-
tates, &c. Statuimus, ut si de cetero quocumque
prætextu Judæi a Christianis graves, & immoder-
atas usuras extorserint, Christianorum eis par-
ticipium subtrahatur, donec de immoderato gra-
vamine satisfecerint competenter. Christiani
quoque si opus fuerit, per centuram ecclesiasti-
cam, appellatione postposita compellantur ab eo-
rum commerciis abstinere. Princibus autem in-
jungimus, ut propter hoc non sint Christianis in-
fести, sed potius tanto gravamine Judæos studeant
cohibere. Ac * eadem poena Judæos decernimus
compellendos, ad satisfaciendum ecclesiis pro de-
cimis, & oblationibus debitibus, quas a Christianis
de domibus, & possessionibus aliis percipere con-
fueverant, ante quam ad Judæos quocumque ti-
tulo devenissent, ut sic ecclesiæ conserventur in-
demnes. *Inn. in conc. gen. Lat. c. 97.*

C A P U T II.

Judæos ad remittendas usuras (*cruce signatis*)
per sacerdalem compelli præcipimus potestatem.
Inn. III. in conc. gen. Lat. c. ult.

T I T U L U S XIII.

PRINCIPES CHRISTIANI PROPULSENT
AB ECCLESIA INJURIAS
JUDÆORUM.

C A P U T I.

Erunt catholicæ fidei (*principes*) assertores,
eamque & ab hac, quæ imminet, Judæorum
perfidia, & a cunctarum hæresum injuria de-
fendentes, &c. *Tolet. VIII. c. 10.*

C A P U T II.

Erga Judæos a Christianis Principibus, ac ce-
teris omnibus Dei fidelibus, tam clericis, quam
laicis, viris, seu feminis, factorum canonum, &
antiquorum Regum, atque legum jura seruen-
tur, &c. *Meld. c. 73. in princ.*

T I T U L U S XIV.

COMMUNIA DE JUDÆIS.

C A P U T I.

A Postolici præcepti verba sunt, *apud Ju. 2. Cor. 10. g.*
*dæos, atque Gentiles sine offensione nos
esse debere. Hoc quisquis Christianus est, tota
animi virtute custodit **. *Miltiades ep. unic. in * custodiat.*
princ. Cœlest. ep. 1. in princ.

C A P U T II.

Orat Ecclesia, ut Judæis ablato cordis vela-
mine, lux veritatis appareat. *Cœlest. ep. 1. c. 11.*

C A P U T III.

Reccaredus Rex constitutionem fecit contra
Judæos, quam eorum pecunias noluit tollere.
*Greg. ep. 3. c. 3. lib. 7. c. 122. reg. post princ. ad
eund. Reccared.*

C A P U T IV.

Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclæ-
siam, & audire verbum Dei, sive Gentilen, sive ^{cap. 66.}
Hæreticum, sive Judæum, usque ad missam ca-
thecumenorum. *Carth. IV. c. 84. Burch. lib. 3.
c. 28. Ivo lib. 2. tit. 4. c. 14. panorm. Cœf. part. 3.
c. 33. descr. Cœsar. lib. 4. c. 91.*

C A P U T V.

Ne intra salutatorium*, aut oratorium (*san-
ctimonialium*) ingredi permittantur præcipue
Judæi. *Mafsc. c. 2.* ^{* saecarium.}

C A P U T VI.

Judæis non liceat corpus deducere psallendo,
sed ut eorum habuit mos, & confuetudo antiqua
corpus deducant, & deponant, quod si facere a-
liter præsumperint, inferant Comiti civitatis
auri uncias sex. *Narbonen. c. 9.*

C A P U T VII.

Inflexibilis Judæorum perfidia, deflexa tan-
dem videtur pietate, & potentia superna; nam
excellentissimus, & Christianissimus Princeps,
&c. non sinit degere in regno suo eum, qui non
est catholicus, &c. Quisquis succendentium tem-
porum regni fortitus fuerit apicem, non aate con-
scendat regiam sedem, quam inter reliqua con-
ditionum sacramenta pollicitus fuerit, hanc se
catholicam non permisurum eos violare fidem,
&c. Si temerator hujus promissi extiterit; sit ana-
thema maranatha in conspectu Dei, & pabulum
efficietur ignis æterni, similique cum eo damna-
tione perculsis, quicumque fæcere, vel qui-
libet Christianorum ejus implicati fuerint errore.
Quæ vero in universalis synodo de Judæis conscri-
pta sunt, confirmamus, &c. *Tolet. VI. c. 3.*

C A P U T VIII.

Baptizati Judæi quocumque loco, certo tem-
pore convergentur, festis tamen præcipuis novi
testamenti serie consecratis, & diebus illis, quos
olim sancti veteris legis sibi meti censebant esse
solemnies, in civitatibus, publicisque conventi-
bus cum summis Dei fæcere celebrare præ-
cipimus; ut eorum conversationem, & fidem, &
Pontifex approbet, & veritas servet. Hujus vero
temerator edicti, prout Episcopus * permiserit, * etas.
aut flagris, aut abstinentiæ subjacebit. *Toletan.
IX. cap. 17.*

C A P U T IX.

De Judæorum execranda perfidia discretis ti-
tulorum sententiis editas noviter a gloriose Prin-
cipe leges vigilanti sensuum intentione perlegi-
mus,

mus, districto etiam gravitatis pondere earum instituta probavimus, &c. (*Tituli legum*). Ne Judæi aut se, aut filios suos, vel famulos a baptismo gratia subtrahant. Item, ne Judæi, more suo celebrent Pascha, vel carnis circumcidiones exerceant; ac ne Christianum quemquam a fide Christi dimoveant. Item, ne Judæi sabbata, ceteraque festivitates ritus sui celebrare præsumant. Item, ut omnis Judæus diebus Dominicis, & in prænotatis diebus ab opere cesseret. Item, ne Judæi ex propinquitate sui sanguinis connubia ducent, & ut sine benedictione sacerdotis nubere non audeant. Item, ne Judæi religioni nostræ insultantes, sectam suam defendere audeant: nec a fide refugientes, alibi se transducant. Et ne quilibet refugientes eos suscipiat. Item, ne Christianus a Judæis quodcumque muneris contra fidem Christi accipiat. Item, ne Judæi libros legere audeant, quos Christiana fides repudiat, &c. Item, professio Judæorum, quomodo unusquisque ad fidem veniens, indiculum professionis suæ conscribere debeat. Item, condiciones Judæorum, quas jurare debeant hi, qui ex eis ad fidem venientes, professiones suas dederint. Item, de Christianis mancipiis Judæorum, quæ se non prodiderint Christiana, sive de publicatoribus eorum. Item, ne Judæi a quolibet potestate accepta extra regiam ordinationem, Christianum quemque impetrere, pletere, vel distingere audeant, &c. Item, ne Judæi administratorio usu in ordinem villicorum, atque actorum, Christianam familiam redigere audeant, & de damnis eorum, qui talia ordinanda injunxerint. Item, Judæus ex aliis provincijs, vel territoriis ad Regis nostri directionem pertinentibus veniens, Episcopo loci, vel sacerdoti se presentare non differat; ut sciat, quid eum in toto observare conveniat. Item, ut concursus Judæorum diebus institutis ad Episcopum fieri debeant. Item, ut quicumque Judæum secum assequentem habuerit, expertente sacerdote eum apud se retinere non audeat. Item, ut cura omnis distinguendi Judæos solis sacerdotibus debeat. Item, de damnis sacerdotum, vel judicium, qui Judæis instituta legum adimplere distulerint. Item, ne judices quidquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conniventiam, judicare præsumant. Item, ut Episcopi tunc immunes habeantur a damnis, cum eorum presbyteros ad ea, quæ ipsi non correxerint, remiserint corrigenda. Item, de servata Principibus mirendi potestate in his, qui conversi ad fidem Christi veraciter fuerint. Item, ut Episcopi omnes Judæis ad se pertinentibus libellum de suis editum erroribus tradant; & ut professiones eorum, vel condiciones in scriniis ecclesiæ condant. Quarum omnium legum promulgatio grava, sicut synodali iudicio comprobata, ita generali omnium nostrorum definitione, in eorum erit deinceps excessus exercenda. *Fole. II. c. 9.*

C A P U T X.

Si quis fidem in Christum negavit, vel ad Judaismum, vel idolorum cultum, vel Manicheismum, vel aliud quid tale impietatis genus deliciis visus sit; qui suapte quidem sponte ad ejus-

modi malum irruens, deinde ad se rediens, totum vitæ suæ habet pœnitentiæ tempus. Numquam enim, si mystica peragatur oratio, Deum una cum populo adorare dignus censetur, sed seorsum precabitur; a sacramentorum autem communione omnino erit alienus. In hora autem sui excessus tum sacramenti parte dignus censemur, &c. *Greg. Nyss. ep. canon. c. 2.*

C A P U T XI.

Innocentias constitutum fecit de omni ecclæsia, & de regulis monasteriorum, & de Judæis, & de Paganis. *Ex Pontif.*

T I T U L U S XV.

DE PAGANIS. ET QUOD ECCLESIA CUPIT OMNES INFIDELES AD FIDEI COGNITIONEM PERVENIRE.

C A P U T I.

Orat Ecclesia, ut infidelibus donetur fides; ut idololatrae ab impietatis sua liberentur erroribus. *Cælest. ep. I. c. 11.*

C A P U T II.

Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive hæreticum, sive Judæum usque ad missam catechumenorum. *Carth. IV. c. 84. Burch. lib. 3. c. 28. Ivo lib. 2. tit. 4. c. 14. panorm. C part. 3. c. 33. decret. Cæsar. lib. 4. c. 91.*

T I T U L U S XVI.

DENT OPERAM CHRISTIANI, UT ABOLIEATUR CULTUS IDOLORUM.

C A P U T I.

Gentilitatis ritum, & doctrinam, &c. abicite: & populum vobis a Deo commissum piis admonitionibus edocete; & a sacrificiis mortuorum omnino devitate, &c. *Greg. III. ep. 3. in med. ad Bajorajos.*

C A P U T II.

De his, qui Christianitatis bonum fusciperunt, & idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis, nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, & ratione illos potius, quam vi, quod vane sapient, convincatis; opera manuum fumarum, & insensibilia elementa; cum sint homines intellectuables, adorantes, immo-dæmoniis suam cervicem fleetentes, & immolantes, &c. *Nicol. ad consult. Bulg. c. 41. Ivo part. I. c. 181. C part. I. c. 85. decret. Cæsar. lib. 12. c. 88.*

C A P U T III.

Admonere placuit fideles, ut quantum possunt, prohibeant, ne idola in domibus suis habeant. Si vero vim metuant servorum, vel se ipsos prius conservent. Si non fecerint, alieni ab ecclæsia habeantur. *Elib. c. 41.*

C A P U T IV.

Siquis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus; quia in Evangelio non est scriptum, neque inventum ab Apostolis umquam factum; placuit in numerum eum non recipi martyrum. *Elib. c. 60.*

C A P U T V.

Si in alicuius presbyterio * infideles aut faculas accenderint, aut arbores, fontes, vel saxa venerentur: si haec eruere neglexerit, sacrilegii se esse reum cognoscat. Dominus autem, vel ordinaria-

dinator rei ipsius, si admonitus emendare noluerit; communione privetur. *Arelat.* II. c. 23. *Exod.* 10. 4. *C A P U T VI.*

Idolorum reliquiae per totam Africam delean-
tur, nam in multis locis maritimis, & possessionibus diversis hic error manet. Et tempa eorum,
quaे in agris, & occultis locis cum dedecore sunt,
destruantur, de voluntate Imperatoris. *Carth.*
c. 59. *G. Carth.* V. c. 15. *L. Afr.* 25. *L.*

Petatur ab Impp. ut reliquiae idolorum non
solum in simulacris, sed in quibuscumque locis,
vel lucis, vel arboribus omnino delean-
tur. *Carth.* c. 85. *G. Carth.* V. c. 15. *L. Afr.* 51. *L.*

C A P U T VIII.

Placuit & illud adversus haereticos, vel Pagano-
nos, vel eorum superstitiones, ut legati missi de
hoc gloriose concilio, quidquid utile providerint,
a gloriissimis Principibus impetrant. *Milevit-*
tan. cap. 11.

C A P U T IX.

Sunt, qui Kal. Jan. colunt, cum Janus homo
Gentilis, & Rex fuerit, Deus esse non potuit,
&c. Sunt etiа, qui in festivitate cathedrae domini
Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post
missas redeuntes ad domos proprias ad Gentilium
revertuntur errores, & post corpus Domini sacra-
tas dæmoni escas accipiunt, &c. Quemcumque
in hac fatiditate Pastores, atque presbyteri per-
sistere viderint, vel nescio (*quas*) ad petras, aut
arbores, aut ad fontes designata loca Gentilium
perpetrare, quaे ad Ecclesiæ rationem non perte-
nent, eos ab Ecclesia sancta (*hac*) auctoritate re-
pellant, nec participare sancto altario permittant,
qui Gentilium observationes custodiunt, &c.
Turon. II. c. 23.

C A P U T X.

Quoniam pene per omnem Hispaniam, sive
Gallicam idolatriæ sacrilegium inolevit: cum
consensu gloriissimi Principis (*Reccaredi*) san-
cta synodus ordinavit, ut omnis sacerdos in loco
suo una cum judice territorii, sacrilegium memo-
ratum studiose perquirat, & exterminare inven-
tum non differat. Omnes vero, qui ad talem er-
rorem concurrunt sine discrimine, qua poterunt,
animadversione coercent. Quod si neglexerint,
sciant se utique excommunicationis periculum
esse subituros. Si qui vero domini extirpare hoc
malum de possessione sua neglexerint, & familiæ
prohibere noluerint, ab Episcopo & ipsi a com-
munione pellantur. *Tolet.* III. c. 16.

C A P U T XI.

Exod. 10. 4. Præcepta Domini sunt dicentis: *Non facies ti-
bi sculptile*, &c. Cultores idolorum, venerato-
res lapidum, accensores facularum & excultores
fontium admonemus, ut agnoscant, quod ipsi
spontanea le morti subiiciunt, qui diabolo sacri-
ficare videntur, &c. Ac proinde omne sacrilegium
idolatriæ, vel quidquid illud est, contra sanctam
fidem, iо quo insipientes homines captivati, dia-
bolicis culturis inserviunt, sacerdotis, vel judi-
cis instantia inventum, ut sacrilegia eradantur,
& exterminata truncantur. Eos vero, qui ad ta-
lem errorem accurrint, & verberibus coercent,

& onustos ferro dominis suis tradant, &c. Domi-
ni tameп eorum, qui nuntiatos sibi talium ser-
vorum errores ulcisci noluerint, & excommuni-
cationis sententiam perferant, & jura servi il-
lius, &c. se amississe cognoscant, &c. *Tolet.* XII.
cap. 11.

C A P U T XII.

Cum dominus præcipiat: Non facies tibi sculptile, &c. Cultores idolorum efficiuntur, vene-
ratores lapidum, accensores facularum, exculen-
tes sacra fontium, vel arborum, auguratores
quoque seu precantatores, &c. Rectoribus eccle-
siarum Dei studere, ut, &c. suo eos restituant
creatori. De quibus sacrilegiis extirpandis multa
sanctorum. Patrum in diversis conciliis clarent
edicta, &c. Cum consensu, & jussu Egicani Re-
gis decernimus, ut omnes Episcopi, seu presbyte-
res, vel hi, qui judicandis causarum negotiis
præsunt, in cujuscumque loco præmissa sacrile-
gia, vel quælibet alia, &c. repererint, emenda-
re, & extirpare non differant, &c. quod si emenda-
re neglexerint, judex loci sui dignitate privatus,
anni unius spatio erit sub poenitentia constitutus,
&c. Si qui vero pro talium defensione obstiterint
sacerdotibus, aut judicibus, ut ea nec emendent,
nec extirpent, &c. sint anathema in conspectu di-
vinæ Trinitatis, &c. *Tolet.* XVI. cap. 2.

C A P U T XIII.

Unusquisque Episcopus in sua parochia solli-
citudinem habeat, adjuvante graphione, qui de-
fensor ecclesiæ est, ut populus Dei paganas non
faciat, sed ut omnes spurcias Gentilitatis abii-
ciat, & respiciat, sive profana sacrificia mortuo-
rum, &c. sive hostias immolaticias, quas stulti
homines juxta ecclesiæ ritu pagano faciunt, &c.
sive illos sacrilegos ignes, quos Nedri vocant,
sive omnes quæcumque sunt Paganorum obser-
vations, diligenter prohibeant. *Franc. syn. Ca-*
pit. lib. 5. cap. 2.

C A P U T XIV.

Unusquisque Episcopus in sua parochia solli-
citudinem habeat, ut populus Christianus Pa-
ganismum non faciat. *Sueffion. sub Pipino.*

C A P U T XV.

Summo decertare debent studio Episcopi, &
eorum ministri, ut arbores dæmonibus consecra-
tæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione
habet, ut nec ramum, vel surculum inde audeat
amputare, radicitus excindantur, atque combu-
rantur. Lapidæ quoque, quos in ruinosis locis,
& silvestribus dæmonum ludificationibus decepti
venerantur, ubi & vota vovent *, & deferunt,
funditus effodiantur, atque in tali loco proician-
tur, ubi namquam a cultoribus suis venerari
possint, & omnibus annuntietur, quantum sce-
lus sit idolatria, & qui hæc veneratur, & colit,
quasi Deum suum negat, &c. Si quis hoc tran-
gressus fuerit, fidem perdidit, & est infidelis dete-
rior, &c. *Nannet. cap. 20.*

C A P U T XVI.

Quicumque Antifites hujusmodi nefas (*ido-
latriæ*) agi permiserit, vel peractum in sua
diœcesi protinus abolere distulerit, a loci sui offi-
cio pulsus, unius anni excursu sub poenitentia
ma-

* amento, f. maneat religatus lamento*, &c. Tolet. XVI. in tom. Regis Egicani.

TITULUS XVII.

NE PAGANI COGANTUR SUSCIPERE FIDEM CHRISTI.

CAPUT I.

DE his, qui Christianitatis bonum suscipere renuant, & idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis, nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, & ratione illos potius, quam vi, quod vane sapient, convincatis, opera manuum suarum, & insensibilia elementa, cum sint homines intellegubiles, adorantes, immo dæmoniis suam cervicem flectentes, immolantes; nam, ut Apostolus docet: „scimus, quoniam nihil est idolum, sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant“. Jam vero si vos non audierint, cum eis nec cibos sumere, nec ullam penitus communionem habere, &c. Nulla igitur cum his, qui non credunt, idolaque adorant, miscenda communio est. Porro illis violentia, ut credant, nullatenus inferenda est. Nam omne, quod ex voto non est, bonum esse non potest. Scriptum est enim: *Voluntarie sacrificabo tibi, & rursus: Voluntaria, inquit, oris mei, beneplacita fac Domine;* & iterum: *Et ex voluntate mea confitebor illi. Ultronea quippe Deus obsequia, & exhiberi tantum ab ultroneis præcipit, nam si vim inferre voluisse, nullus omnipotentiæ illius resistere potuisse,* &c. Nicolaus ad consulta Bulgaror. cap. 41. Ivo part. I. cap. 181. & 182. & part. II. cap. 85. & 86. decret. Cæsar. lib. 12. cap. 88.

CAPUT II.

Non esse inferendam Pagano violentiam, supra docuimus capite XL. Nicolaus ad consulta Bulgarorum cap. 102. Ivo part. I. cap. 182. decret. Cæsar. lib. 12. cap. 88.

TITULUS XVIII.

NE CHRISTIANI COMMUNICENT CUM PAGANIS, NEQUE EORUM LIBROS LEGANT.

CAPUT I.

De Jud. c. 5. Greg. IX. & in 1. coll. **E**Xcommunicentur, qui cum Judæis, & Saracenis præsumperint habitare. Alex. III. in conc. Later. cap. 26.

CAPUT II.

Necesse est, ut salutis causa filius, qui sermonem receperit veritatis, a parentibus separetur incredulis, aut rursum pater separetur a filio, aut filia a matre. Et hoc modo inter propinquos, atque consanguineos credentes, atque incredulos, scientiæ, atque ignorantia, veritatisque, & erroris pugna consurgit, &c. Quod si dicat aliquis, & quomodo justum videtur, separari filios a parentibus? Audi quomodo, quia cum ipsis, si in errore permaneant, neque illis proderunt, & ipsi cum illis pariter interibunt. Justum igitur, & valde justum est separari eum, qui salvari vult, ab eo, qui non vult, &c. Clem. epist. 3. post princ.

CAPUT III.

Infidelibus nolite conjungi, nec cum eis ullam participationem habere. Talia vero agentes, non fideles, sed infideles judicantur. Unde ait Apo-

Tom. V.

stolus: *Quæ portio fidi cum infideli? aut quæ 1. Cor. 6. c. participatio justitiae cum iniuitate?* Callist. epist. 2. in princ.

CAPUT IV.

Nulla cum his, qui non credunt, idolaque adorant, miscenda communio est, &c. Si queritis, quid de (*idololatria*) judicandum sit, Apostolum Paulum audite, qui cum Corinthiis scriberet, ait: *Quid mihi de iis, qui foris sunt?* &c. Veruntamen auferte malum ex vobis ipsis, ne videlicet vobiscum morans, ut cancer serpat, aut certe, dum a fidelibus sibi communicari conspicit, suæ vanitati communicari putet, ac per hoc veraciorem, & sanctiorem suam sectam, quam nostram existimet religionem. Propter conscientiam ergo magnopere idola colentium cavenda est omnino communio: nam qui *idololatria* communicat, 1. Cor. 5. d. ipsis idolis, immo dæmoniis communicare videtur, &c. Nicolaus ad consult. Bulgar. cap. 41. Ivo part. I. cap. 182. & part. II. cap. 86. decret. Cæsar. lib. 12. cap. 88.

CAPUT V.

Cum paganis, quod sit Christianis pactum faciendum, Apostolus indicat, qui *nullam communionem luci ad tenebras, Christi ad Belial, fidi cum infideli*, dat intelligi debere pro�us existere. Verum si eo fidelis animo pactum cum infideli constituit, ut eum ad cultum veri Dei possit attrahere, non est prohibendum, &c. Inveniuntur autem nonnulli sanctorum, & fidelium cum alienigenis, & infidelibus pacta, & amicitiæ foedera contraxisse diversa, sed eos non tamquam infidelitatem eorum, & superstitionem approbantes, coluisse; sed tamquam in angarias diversis usibus implicasse, & præcipue in terrenis eos quæstibus, & servilibus occupasse. Nicolaus ad consult. Bulgar. cap. 82.

CAPUT VI.

De libris profanis, quos a Sarracenis vos abstulisse, ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum sit, inquiritis. Qui nimur non sunt reservandi, corrumptunt enim, sicut scriptum est, 2. Cor. 15. d. mores bonos colloquia mala; sed utpote noxi, & blasphemii igni tradendi. Nicolaus ad consult. Bulgar. cap. 103.

CAPUT VII.

Petatur a Christianis Imperatoribus, cum contra divina præcepta in multis locis convivia ita fiant, ex Gentili errore ducta, ut Christiani Gentilibus clam conjungantur; ut hæc prohibeant, & ex urbibus, & possessionibus expellant, maxime in natalibus martyrum per urbes, & sacra loca hæsordes inferuntur, quibus diebus, quod dicere turpe est, choreas per agros & plateas, ducunt, & matronarum bonos, & aliarum multarum mulierum pudor contumeliis afficiuntur, ita ut sanctæ fidei cultus periclitetur. Cart. c. 61. G. Afr. 27. L.

CAPUT VIII.

Episcopus Gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro necessitate, & tempore. Carthag. IV. c. 16. Burch. lib. 1. c. 95. Ivo lib. 2. tit. 11. c. 44. panorm. & part. 4. c. 160. & part. 5. cap. 197. decret. Anselm. lib. 7. c. 102. in addit. Cæsar. lib. 2. c. 29. & lib. 4. c. 56.

VVV TIT.

522 Juris Pontificii Veteris Epitome

TITULUS XIX. NE FIDELES CONJUNGANTUR CUM PAGANIS.

*Distinct. 22,
Quoniam.
15.*

Lectores, & cantores non ducant uxores alterius seculæ, liberos non copulent in matrimonio cum hæretico, Judæo, vel Gentili, nisi promittat orthodoxam fidem recipere: contra veniens canonice puniatur. *Chalc. c. 14. Ivo lib. 3. tit. 8. c. 27. panorm.*

CAPUT I.

*De Jadeis,
c. 15. Gr. IX.
s. 1. eod. tit.
in 4. coll.*

In nonnullis provinciis a Christianis Judæos, seu Sarracenos habitus distinguit diversitas, sed in quibusdam, &c. contingit interdum, quod per errorem Christiani Judæorum seu Sarracenorum & Judæi, seu Sarraceni Christianorum mulieribus commiscentur, &c. Statuimus, ut tales utriusque sexus in omni Christianorum provincia, & omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur, cum etiam per Moysemen hoc ipsum legatur eis injunctum. *Innoc. III. in conc. gen. Later. c. 68.*

CAPUT II.

Levit. 19.

Deuteronom.

22.

Propter copiam puellarum Gentilibus minime in matrimonium dandæ sunt virgines Christianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio resolvatur animæ. *Elib. c. 15.*

CAPUT IV.

Si quis sacerdotibus idolorum filias suas junxerint, placuit nec in fine eis dandam communionem. *Elib. c. 17.*

CAPUT V.

Si quis fidelis habens uxorem, cum Judæa, vel Gentili fuerit mœchatus, a communione arceatur, &c. *Elib. c. 78.*

CAPUT VI.

Puellæ fideles, quæ Gentilibus junguntur, aliquanto tempore a communione separantur. *Arel. relat. cap. II.*

CAPUT VII.

Liberi clericorum Gentilibus, vel hæreticis (aut schismatis, L.) matrimonio non copulentur. *Carthag. 21. G. Carthag. III. c. 12. L.*

TITULUS XX. NE CHRISTIANI PAGANORUM SUPER- STITIONI FAVEANT.

CAPUT I.

26. q. 7. c. 15.

** brumam, f.*

Si quis Kal. Januarias, & broma * colere præsumperit, aut mensas cum dapibus in domibus preparare, & per vicos, & plateas cantationes, & choreas ducere, quod maxima iniquitas est coram Deo, anathema sit. *Zachar. in synod. Roman. c. 9. Burch. lib. 10. c. 16. Ivo part. II. cap. 43. decr.*

CAPUT II.

** offerat.*

Si Christianus oleum mittat * in templum Gentilium, vel in synagogam Judæorum in eorum festis diebus, aut lucernas accendat, excommunicetur. *Ap. c. 71.*

CAPUT III.

Divinos, vel sortilegos, sacrificia mortuorum vel lucorum, vel fontium, anguria, vel phylacteria, vel incantatores, & veneficos, id est, maleficos, & observationes sacrilegas, quæ in vestris finibus fieri solebant, omnino respuentes,

tota mentis intentione ad Dominum converti-
mini, &c. *Greg. III. ep. 2. in med. ad Germanos.*

CAPUT IV.

De Kal. Januar. vel ceteris auguriis, phyla-
cteris, incantationibus, vel aliis diversis obser-
vationibus, quæ Gentili more observari dixisti a-
pud beatum Petrum Apostolum, vel in urbe Ro-
ma, hoc a nobis, & omnibus Christianis detesta-
bile, & perniciolum esse judicamus, &c. *Zach.*
ep. 6. post med. ad Bonif. incip. Sulceptis.

CAPUT V.

Placuit prohiberi, ut cum rationes suas acci-
piunt possessores, quidquid ad idolum datum
suerit, acceptum non inferant. Si vero post in-
terdictum fecerint, per quinquenni spatha tem-
poris a communione esse arcendos. *Elib. c. 40.*

CAPUT VI.

Sacerdotes, qui tantum sacrificantium coro-
nam pertant, nec sacrificant, nec de suis sumptu-
bus aliquid idolis praestant, placuit post biennium
accipere communionem. *Elib. c. 55.*

CAPUT VII.

Matronæ, vel earum mariti vestimenta sua ad
ornandam sacerdotaliter pompam non dent: si fece-
rint, triennii tempore abstineant. *Elib. c. 57.*

CAPUT VIII.

Si in alicujus presbyterio * infideles aut facu-
las accenderint, aut arbores, fontes, vel saxa ve-
nerentur: si hæc ergo neglexerit, sacrilegii se
esse reum cognoscat. Dominus autem, vel ordi-
nator rei ipsius, si admonitus emendare noluerit,
communione privetur. *Arel. II. c. 23.*

CAPUT IX.

Si hæretici, vel Gentiles, ab Episcopo here-
des relinquantur, et si propinqui sint, et si ab in-
testato succedant, anathema dicatur Episcopo, &
a nomine ejus sacerdotes abstineant. *Carthag. c.*
82. G. Afr. c. 48. L.

CAPUT X.

Non oportet cum Paganis festa celebrare, &
communicare impietati eorum. *Laod. c. 39.*

CAPUT XI.

Si quis Christianus, ut est Gentilium consue-
tudo, apud cuiuscumque feræ, vel pecudis extra,
invocatis insuper nominibus Paganorum fortasse
juraverit, si se ab hac superstitione commonitus
noluerit cohibere, donec reatum emendet, a con-
sortio fidelium, vel Ecclesiæ communione pella-
tur. *Aurel. IV. c. 16.*

CAPUT XII.

Ad nos pervenit, quosdam de populis catholi-
cæ fidei, execrabilis ritu, die quinta feria, quod
dicitur Jovis excolere, & operationem non face-
re. Quam rem pro Dei timore execrantes, & blas-
phemantes, quicumque ab hac die præter festivi-
tates in eo die venientes, ausus, vel ausa fuerit
vacare, & operam non facere; si ingenuus est, aut
ingenua, de ecclesia repellendum, & sub pena-
tentia mittendi anno uno, & eleemosyna, & fle-
tu satisfaciat, ut eis Dominus ignoscat; si Servus
aut ancilla fuerit, contenta * flagella correcti * contenta, f.
domino consignetur, & ultra talia eos observa-
re non permittant. *Narbon. c. 15.*

CAPUT XIII.

Non licet Kal. Jan. vecolo * aut cervolo face-
* vitulo, f.
re:

re: vel strenas diabolicas observare. Sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus. *Antifiodor. c. 1.*

C A P U T XIV.

Non licet compensas in domibus propriis nec vigiliis in festivitatibus sanctorum facere: nec inter fentes, aut arbores sacrivos*, ac rivos vel ad fontes vota exolvere: sed quicumque votum habuerit, in Ecclesia vigilet, & matricolæ ipsum votum, aut pauperibus reddat. Nec subtilia, aut * homine, f. pede, aut hominem * linea fieri penitus presumat. *Antifiod. c. 3.*

C A P U T XV.

Kalendas, vota, & Brumalia, & Kalendarum * Martii, f. conventum ex Christianorum repub. tollimus. Item mulierum publicas saltationes, & quæ nomine falsorum deorum Gentilium ex viris, vel mulieribus sunt choreæ, & festa; quæ omnia aliena sunt a Christianis. Nemo etiam vir mulieris stolam induat, nec mulier viri, neque personas comicas, vel satyricas, vel tragicas induant. Neque Dionysi nomine exclamato uvas exprimant. Neque dum vinum in cuppis diffundunt risum moveant ignorantiae, vel stultitiae prætextu dæmoniaco modo operantes. Qui fecerint clerici deponantur, laici excommunicentur. *Trull. c. 62. Poenit. Rom. rit. 7. c. 1.*

C A P U T XVI.

Incendia, quæ ante domos, vel opificinas in Neomeniis quidam ponunt, & super ea veteri more transiliunt cessare jubemus. Quisquis tale fecerit, clericus deponatur, laicus excommunicetur. *Reg. 21. a. 4. c. 21. Mart. Brac. c. 70. Burch. lib. 11. c. 38. Ivo part. 11. c. 63. decr.*

C A P U T XVII.

Qui jurant, ut Gentiles, poenitentia canon coercet, nos excommunicatione. *Trull. 95.*

C A P U T XVIII.

Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis. *Mart. Brac. c. 70. Burch. lib. 11. c. 38. Ivo part. 11. c. 63. decr.*

C A P U T XIX.

Non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium; & observare, & colere elementa, &c. *Mart. Brac. c. 73. Raban. c. 24. de poenit. Burchard. lib. 10. c. 13. Ivo part. 11. c. 40. decr.*

C A P U T XX.

Non liceat iniquas observationes agere diebus Kalendarum, & otiis vacare Gentilibus, neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc obliteratio paganissima est. *Martin. Brac. c. 74. Raban. c. 24. de poenit. Burch. lib. 10. c. 15. Ivo part. 11. c. 42. decr.*

T I T U L U S XXI.
NE CHRISTIANI DEFERANT AD PAGANOS ARMA, ET ALIA, QUIBUS IPSI NOCERE POSSINT REIPUB. CHRISTIANÆ.

C A P U T I.

ITA quorundam animos occupavit sæva cupiditas, ut cum gloriuntur nomine Christiano Sarracenis arma, ferrum, & ligamina* galearum deferant, & pares eis, aut etiam superiores in malitia fiant; dum ad impugnandos Christia-

nos arma eis, & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua cupiditate in galeis, & piraticis Sarracenorum navibus regimen, & curam gubernationis exercent. Tales igitur a communione Ecclesiarum præcisos; & excommunicationi pro sua iniquitate subjectos, & rerum suarum per sæculi Principes catholicos, & Consules civitatum privatione multari, & capientium servos, si capti fuerint, fore censemus. Præcipimus etiam, ut per ecclesiæ maritimorum urbium crebra, & solemnis excommunicationis proferatur in eos. *Alex. III. in conc. gen. Lat. c. 24.*

C A P U T II.

Excommunicamus, & anathematizamus illos *De Judeis c. 17. Gr. IX.*
falsos, & impios Christianos, qui contra ipsum Christum, populum Christianum Sarracenorum arma, ferrum, & ligamina* deferunt galearum, * lignamini eos etiam, qui galeas eis vendunt, vel naves, qui que in piraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquid eis impendunt consilium, vel auxilium in dispendium terræ sanctæ, ipsarum rerum suarum privatione multari, & capientium servos fore censemus. Præcipientes, ut per omnes urbes maritimæ diebus Dominicis, & festivis hujusmodi sententia innovetur, & talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum, quod ex substantia tam damnata perceperint, & tantundem de sua in subsidium prædictæ terræ transmiserint, ut æquo judicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod si forte solvendo non fuerint, alias sic reatus talium castigetur, quod in poena ipsorum alii interdicatur audacia similia præsumendi. *Inn. III. in conc. gen. Lat. c. ult.*

T I T U L U S XXII.
PAGANI NON GERANT MAGISTRATUS,
NEQUE HABEANT MANCIPIA
CHRISTIANA.

C A P U T I.

Judaï, sive Sarraceni nec sub alienorum puerorum obtentu, nec pro servitio, nec alia quilibet causa Christiana mancipia in domibus suis permittantur habere, excommunicentur autem, qui cum eis præsumplerint habitare. *Alex. III. in conc. Later. cap. 26.*

C A P U T II.

Ne Judæi officiis publicis præficiantur, &c. *De Judeis c. 16. Gr. IX.*
Hoc idem extendimus ad Paganos, &c. *Inn. III. 16. Gr. IX.*
in conc. gen. Lat. c. 69. *c. 2. eod. tit. in 4. coll.*

T I T U L U S XXIII.
INFIDELIS NON POTEST ACCUSARE
CHRISTIANUM.

C A P U T I.

Emper in accusatione clericorum primo persona, fides, vita, & conversatio blasphemantium periclitetur. Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino est credendum, qui veritatis c. 1. de heret. fidem ignorant, nec rectæ conversationis vitam ducunt, quoniam tales & facile, & indifferenter lacerant, & criminantur recte, & pie viventes, &c. *Nicæn. c. 45. apud Jul. ep. 2. c. 11. Xyst. ep. 1. in fin. Hadr. c. 4. ad Episc. Mediom. Capit. lib. 5. c. 183. Greg. IX. c. 239. lib. 7. c. 147. in add. Burch. lib. 1. c. 144. Ivo part. 5. c. 257. decr. Ans. lib. 3. c. 88.*

C A P U T II.

Accusandi non sunt (*sacerdotes Domini*) ab infamibus, &c. aut alterius sectæ, vel religionis hominibus. *Pontian. ep. 1. in princ. Trost. c. 4.*

C A P U T III.

^{6. q. 1. c.} ^{17. in fin.} Nec liberti, neque suspecti, nec rectam fidem vel dignam conversationem non habentes, summos sacerdotes pollunt accusare. *Steph. epist. 1. cap. 1. Burch. lib. 1. cap. 173. Ivo part. 5. c. 291. decr. Deusd. cap. 3.*

C A P U T IV.

^{2. q. 7. c.} ^{25.} Paganos, & haereticos scias non posse Christianos accusare, aut vocem eis infamacionis inferre. *Cajus ep. unic. c. 1. Ivo lib. 4. tit. 7. c. 11. pan. C. Ans. lib. 3. c. 45. Tarr. lib. 2. c. 15.*

C A P U T V.

Persona, fides, vita, & converratio, atque suspicio accusantium enucleatim primo inquirenda est. *Marcellus ep. 2. in med.*

C A P U T VI.

^{4. q. 6. O.} ^{mib. c. 2.} Gentilis ad accusandum clericos non admittatur, nisi suam causam prosequatur. *Carth. c. 130. G. Carth. VI. c. 2. L. Afr. 96. L. Ivo part. 16. c. 64. decr.*

T I T U L U S XXIV.

DE HIS, QUI CREDUNT, ET NONDUM SUNT BAPTIZATI.

C A P U T I.

^{Dif. 48. c. 1.} **A**ntequam quis baptizetur, docendus est, non statim post Gentilitatis coersionem est baptizandus. Multo minus est statim ordinandus Episcopus, cum dicat Apostolus: *Non neophytus, ne forte elatus in judicium incidat, & laqueum diaboli. Nicen. c. 2. Mart. Brac. c. 22. Joann. VIII. in VIII. vel IX. syn. gen. act. 2. Ivo in prolog. panorm. C. decr.*

C A P U T II.

Quicumque (*ex Eunomianis, C. Montanis, C. Sabellianis*) rectæ fidei adscribi volunt, ut Græcos * admittimus, & primo quidem die ipsos Christianos facimus, secundo catechumenos &c. & sic eos catechizamus, sive initiamus, & curramus, ut longo tempore versentur in ecclesiis, & audiant scripturas, & tunc eos baptizamus. *CP. cap. 7. G.*

C A P U T III.

Flamines si fuerint catechumeni, & se a sacrificiis abstinererint, post triennii tempora ad baptismum admittantur. *Elib. c. 4.*

C A P U T IV.

Gentiles si infirmitate desiderant sibi manus imponi, &c. placuerint eis manus imponi & fieri Christianos. *Elib. c. 4.*

C A P U T V.

Ne quis Christianus aut Gentilis ad idolum Capitolii sacrificandi causa ascendat, & videat. Si fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, post x. annos acta pœnitentia recipiatur. *Elib. 59.*

Cetera vide parte secunda, ubi de catechumenis, & de baptismo agitur.

T I T U L U S XXV.

COMMUNIA DE PAGANIS.

C A P U T I.

^{De Judeis c. 15. Gr. IX. e. 1. eod. tit. in 4. coll.} **I**n nonnullis provinciis a Christianis Judeos,

seu Sarraçenos habitus distinguit diversitate, &c. contingit interduum, quod per errorem Christiani Judæorum seu Saracenorum, & Judæi, seu Saraceni Christianorum mulieribus commiscetur, &c. Statuimus, ut distinguantur, &c. *Inn. III. in conc. gen. Lat. c. 68.*

C A P U T II.

Episcopus, presbyter, diaconus fideles peccantes, vel infideles delinquentes verberans deponatur. *Ap. c. 27. G. 28. L. Ans. lib. 6. c. 159.*

C A P U T III.

Apostolici præcepti verba sunt, apud Judæos, *1. Cor. 10. g.* atque Gentiles sine offensione nos esse debere, hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. *Milt. ep. 1. in princ. Cælest. ep. 1. in princ.*

C A P U T IV.

Si licet persecutionem Paganorum fugere an non? Salutare consilium damus, si fieri potest, locum inveneris, insta ad prædicandum illis, si autem supportare non valueris eorum persecutionem, habes præceptum dominicum, ut in aliam ingrediari civitatem. *Zach. ep. 5. ad Bonif. an. tefin. eius init. Benedictus Deus. Matt. 10. c.*

C A P U T V.

Adversus haereticos, vel Paganos, vel eorum superstitiones, legati missi de hoc gloriole consilio, quidquid utile providerint, a gloriosissimis Principibus impetrant. *Milev. c. 11.*

C A P U T VI.

Leætores in ecclesia in habitu sæculari ornato non psallant, neque granoſ * Gentili ritu dimittant. *Brae. I. c. 29.*

C A P U T VII.

Qui jura civilia discunt, non debent Paganorum moribus uti, neque in theatrum ascendere *, induci, vel cylistras celebrare, vel præter communem usum stolas inducere, &c. aut excommunicentur. *Trull. 71.*

C A P U T VIII.

Mercatores hujus regni, Christiani sive judæi mancipia Pagana, quæ per tot populos, & civitates fidelium transeuntes ad manus infidelium, & sævissimorum hostium nostrorum perducunt, ex quo & ipsi infelices servi, qui si a Christianis emerentur, poterant salvari, miserabiliter pereunt, & inimicorum regni maximus numerus augetur, coerceant a piis Principibus nostris, & intra Christianorum fines vendere compellantur, ne tam horrenda crudelitate, & aperta infidelitate, & animarum damnis Deus exasperetur, & vires hostibus augeantur. *Meld. c. 73. in fine, ex Tolet. IV. c. 59.*

C A P U T IX.

Sarracenis sufficit, quod in eremo lapidi inanimato sacrificia faciant, acclamentque hanc vocem *chobar*, quod a patribus acceptum per puerilia mysteria, & festa peragunt. *Germanus Episcopus CP. ad Thomam Episcopum Claudiopolos, post princ. VII. syn. act. 4. post princ.*

C A P U T X.

Innocentius constitutum fecit de omni ecclesia & regulis monasteriorum, & de Judæis, & de Paganis. *Ex Pontif. In-*



Index Librorum , & Titulorum.

| LIBER PRIMUS. | |
|--|--|
| De Pontifice Maximo. | |
| Tit. i. D e Petri Apostoli, & successorum Romanorum Pontificum Primitatu. pag. 13. col. 1. | |
| Tit. ii. De fide catholica Ecclesiae Rom. 18. 2. | |
| Tit. iii. Pontifex Maximus est Pastor universalis. 21. 2. | |
| Tit. iv. Romana Ecclesia mater est, & caput aliarum. 27. 1. | |
| Tit. v. De electione, & consecratione Pont. Max. 30. 2. | |
| Tit. vi. De Conciliorum generalium convocatione ad Pont. Max. pertinente. 33. 1: 207. 1. | |
| Tit. vii. Praeesse Legatos Pontif. Max. in conciliis. 35. 1: 207. 1. | |
| Tit. viii. De confirmatione conciliorum a Pontifice Maximo. 37. 1: 208. 2. | |
| Tit. ix. De restitutione damnatorum, & ejorum a synodis, & de damnatis a Pont. Max. sine synodis. 38. 2. | |
| Tit. x. De majoribus negotiis ad Pont. Max. referendis. Pars prior. 40. 1. | |
| De variis negotiis ad Pont. Max. referendis. Pars posterior. 42. 1. | |
| Tit. xi. Episcopos, & Metropolitanos, & Primates constituere, Pontificis Maximi est. 43. 2. | |
| Tit. xii. Episcoporum mutatio ad Pontificem Maximum pertinet. 44. 2. | |
| Tit. xiii. Pontifex Max. omnes judicat, & judicatur a nemine. 45. 1. | |
| Tit. xiv. Solus Pont. Max. judicat omnes Episcopos. 48. 1. | |
| Tit. xv. Ad Pontificem Maximum appellatur ab omnibus. 52. 2. | |
| Tit. xvi. Pontifex Max. Imperatores, & Reges potest excommunicare, & privare ditione, illorumque subditos fidelitatis sacramento solvere. 55. 2. | |
| Tit. xvii. De decretis, & decretalibus Pontificum Maximorum. 56. 2. | |
| Tit. xviii. De paenit. quibus afficiuntur ii, qui Pont. Max. injuriam faciunt, aut ejus precepta contranunt, aut facultates ejus, aut Ecclesiae Romane surripiunt. 59. 1. | |
| Tit. xix. Varia privilegia, & decreta Pontificis Max. 60. 1. | |
| Pontifex Max. confirmat Episcoporum electiones. Pars prima. Ibid. | |
| Proferatur nomen Pont. Max. in Missa celebratione. Pars secunda. Ibid. | |
| De sanctitate, qua multi Pontifices Max. prædicti fuerunt. Pars tertia. Ibid. 2. | |
| De sacramento, quo se obligavit Bonifacius Episcopus Gregorio II. Pars quarta. Ibid. | |
| Alia privilegia, quæ ad certim caput redigi non possunt. Pars quinta. 61. 1. | |

| LIBER SECUNDUS. | |
|--|--|
| De Patriarchis, & Primatibus. | |
| Tit. i. De institutione & electione Patriarcharum, & Primatum. 67. 1. | |
| Tit. ii. De numero, loco, & dignitate Patriarcharum. 68. 1. | |
| Tit. iii. De Patriarcha Alexandrino. 70. 1. | |
| Tit. iv. De Patriarcha Antiocheno. Ibid. 2. | |
| Tit. v. De Patriarcha Hierosolymitano. 71. 2. | |
| Tit. vi. De Patriarcha Constantinopol. 72. 1. | |
| Tit. vii. De provinciis, quæ ad singulos Patriarchas pertinent. 74. 2. | |
| Tit. viii. Patriarcha electus synodicam ad alios Patriarchas mittit. Ibid. | |
| Tit. ix. De variis Primatibus Orientis. 75. 1. | |
| Tit. x. De Primatibus Africæ. Ibid. | |
| Tit. xi. De Gallie Primatibus. Ibid. 2. | |
| Tit. xii. De privilegiis Primatum. 76. 1. | |
| Tit. xiii. De reverentia, quæ debetur Patriarchis, & Primatibus. Ibid. 2. | |
| Tit. xiv. Ad Patriarchas, & Primates pertinentes maiores causæ, & graviora negotia. Ibid. | |
| Tit. xv. Patriarchæ, & Primates dant judices. 77. 1. | |
| Tit. xvi. Patriarchæ, & Primates judicant de Metropolitanis. Ibid. | |
| Tit. xvii. Patriarchæ, & Primates judicant Episcopos. Ibid. 2. | |
| Tit. xviii. De appellatione ad Patriarchas, & Primates. 79. 1. | |
| Tit. xix. Patriarchæ, & Primates posse sunt Episcopos, & Metropolitanos excommunicare, & deponere. Ibid. | |
| Tit. xx. Patriarchæ, & Primatis est congregare concilia provincialia. Ibid. 2. | |
| Tit. xxi. Patriarchæ, & Primatis est Episcopos suspensos absolvere, spoliatos restituere, innocentesque defendere. 80. 1. | |
| Tit. xxii. De medo, quo Ignatius Patriarcha CP. reconciliavit Episcopos, presbyteros, & alios clericos. Ibid. 2. | |
| Tit. xxiii. Ne quisquam laicus subito ascendat ad Patriarchatus dignitatem. Ibid. | |
| Tit. xxiv. De his quæ Patriarchæ, vel Primatis facere prohibentur. 81. 1. | |
| Tit. xxv. Patriarchæ, & Primates a Pont. Max. vel a synodo generali judicantur. Ibid. 2. | |
| Tit. xxvi. Quibus de causis possint Patri- | |

- triarche excommunicari, & deponi. 83. 1.
 Tit. xxvii. Communia de Patriarchis,
 & Primatibus. Ibid. 2.
- L I B E R T E R T I U S.
- De Archiepiscopis, & Metropolitanis.
- Tit. i. De institutione Archiepiscoporum. 84. 1.
 Tit. ii. De consecratione, & electione,
 & confirmatione Archiepiscoporum. 85. 1.
 Tit. iii. De reverentia, quæ debetur Archiepiscopis. Ibid. 2.
 Tit. iv. De pallio Archiepiscoporum. 86. 2.
 Tit. v. Ne unus Metropolitanus duas
 provincias obtineat, neque unam
 provinciam in duas dividat. 87. 2.
 Tit. vi. Archiepiscopi est Episcopos ordinare, aut illorum ordinationi
 consensum præbere. 88. 1.
 Tit. vii. In administratione sacramen-
 torum & celebratione Divinorum
 officiorum sequuntur Episcopi Pro-
 vinciales ordinem præscriptum a
 Metropolitanis. 89. 2.
 Tit. viii. Varia negotia ad Archiepisco-
 pum pertinentia. Ibid.
 Tit. ix. De cura Metropolitanus erga ec-
 clesiastiam suam, & diœses, & per-
 sonas subditorum Episcoporum, &
 de sede vacante. 90. 1.
 Tit. x. Archiepiscopi est vocare Episco-
 pos ad concilium. 91. 1: 240. 2.
 Tit. xi. De judiciis Metropolitanorum. 92. 2.
 Tit. xii. Archiepiscopus audit applica-
 tiones, & querelas, quæ de Episco-
 pis deferuntur. 93. 2.
 Tit. xiii. Archiepiscopus circumeat diœ-
 cesim, cum opus fuerit. 94. 2.
 Tit. xiv. Ne Archiepiscopus avaritiae
 causa suffraganorum diœses cir-
 cumeat. Ibid.
 Tit. xv. Archiepiscopi a Pontif. Max. a
 Patriarcha, & synod. judicantur. 95. 1.
 Tit. xvi. Nihil Metropolitanus sine Episcopis, nihil Episcopi sine Metro-
 politano agere debent; exceptis
 iis, quæ ad singulorum parochias
 pertinent. 96. 1.
 Tit. xvii. De iis, quæ Archiepiscopi fa-
 cere prohibentur. 97. 1.
 Tit. xviii. De variis quibusdam Metro-
 politanis ecclesiis, quarum mentio
 fit in conciliis, & Pontificum epi-
 stolis. Ibid. 2.
 Tit. xix. Communia de Archiepiscopis. 98. 2.
- L I B E R Q U A R T U S.
- De Episcopis, sive Pontificibus,
 vel Sacerdotibus.
- Tit. i. De potestate, & dignitate Episc. 99. 1.
 Tit. ii. De institutione Episcoporum, &
 de officio ipsorum. 100. 2.
 Tit. iii. Quibus gradibus debeat Episco-
 pus ascendere ad Episcopatum. 102. 2.
 Tit. iv. Populus, & clerus olim sole-
- bant in electione ostendere, quem
 vellent sibi preesse Episcopum, &
 non populus solus. 105. 1.
 Tit. v. Qualis debeat eligi Episcopus. 106. 2.
 Tit. vi. Neophyti non possunt eligi Epi-
 scopi, neque laici. 110. 1.
 Tit. vii. Digami non possunt eligi Episc. 113. 1.
 Tit. viii. Ne homines improbi, aut alias
 indigni elegantur Episcopi. 114. 1.
 Tit. ix. Ne indocti elegantur Episcopi. 115. 1.
 Tit. x. Nullus ordinetur Episcopus, qui
 non sit natus annos triginta. 116. 1.
 Tit. xi. Quorum membrorum defectus
 veter aliquem esse Episcopum. Ibid.
 Tit. xii. Potestas sacerdotalis ne in Episco-
 pi electione auctoritatem suam ty-
 rannice interponat. Ibid. 2.
 Tit. xiii. Ne quisquam per simoniam eli-
 gatur, aut consecretur Episcopus. 117. 2.
 Tit. xiv. Communia de electione Epi-
 scopi. 119. 1.
 Tit. xv. Qui dignus est Episcopatu, non
 debet illum recusare. 120. 2.
 Tit. xvi. De confirmatione electionis E-
 piscopi. 121. 1.
 Tit. xvii. De numero Episcoporum, qui
 interesse debent consecrationi E-
 piscopi. Ibid. 2.
 Tit. xviii. Episcopus non ordinetur sine
 consensu Metropolitani. 123. 2.
 Tit. xix. De cæremoniis, quæ servari
 debent in consecratione Episcopi. 125. 1.
 Tit. xx. Communia de consecratione E-
 piscopi. Ibid.
 Tit. xxi. Quæ debeant observari in con-
 stituendis novis Episcopatibus. Ibid. 2.
 Tit. xxii. Episcopi non constituantur in
 oppidis, neque in parvis civitati-
 bus. 126. 1.
 Tit. xxiii. Ne duo sint Episcopi unius ci-
 vitatis. 127. 1.
 Tit. xxiv. Ne vivente Episcopo aliis E-
 piscopus constituatur. Ibid. 2.
 Tit. xxv. De Episcopo qui non vult su-
 scipere curam sui Episcopatus, &
 de eo, quem populus suscipere non
 vult. 128. 1.
 Tit. xxvi. De vita, & honestate Epi-
 scoporum. Ibid. 2.
 Tit. xxvii. De vestibus, & insignibus
 Episcoporum. 131. 2.
 Tit. xxviii. De tonsura Episcopi. 132. 1.
 Tit. xxix. De domo, vestitu, supellesti-
 le Episcopi. Ibid.
 Tit. xxx. De temperantia Episcopi in
 victu. 133. 1.
 Tit. xxxi. Episcopus pauperes alat. 134. 1.
 Tit. xxxii. Episcopi quos libros legere
 debeant. 135. 2.
 Tit. xxxiii. Ne Episcopus venationi, aut
 aucupiis operam det. 136. 2.
 Tit. xxxiv. Ne Episcopus ludos sacer-
 tales spectat. Ibid.
 Tit. xxxv. De castitate Episcopi. 137. 1.

Tit.

- Tit. xxxvi. Ne Episcopus uxorem duce-re audeat. 138. 1.
 Tit. xxxvii. Episcopus, qui habet uxorem abstineat ab illa. Ibid.
 Tit. xxxviii. Ne apud Episcopum habi-tent feminine, praeter matrem, & sororem, &c. 139. 2.
 Tit. xxxix. Ne femina ulla apud Epi-scopum habitet. 141. 1.
 Tit. xl. Ne Episcopi soli cum feminis loquuntur. Ibid. 2.
 Tit. xli. De Episcopo lapso a castitate. 142. 1.
 Tit. xlii. Ne quisquam audiat Missam Episcopi, quem certo scit concubi-nam habere. Ibid. 2.
 Tit. xlii. Episcopus habeat semper se-cum testes suae vitae. Ibid.
 Tit. xliv. Episcopi est confidere chrisma. 143. 2.
 Tit. xlvi. Episcopi est conferre sacra-men-tum confirmationis. Ibid.
 Tit. xlvi. Episcopi munus est, consecra-re ecclesias, & altaria. 144. 2.
 Tit. xlvi. Ne Episcopus pretium ullum accipiat causa consecrandi eccles. 145. 1.
 Tit. xlvi. Ne Episcopus in aliena dio-ce-si ecclesias consecret. Ibid. 2.
 Tit. xli. Solus Episcopus confert sacros ordines, & virginem consecrat. Ibid.
 Tit. l. Ne Episcopos clericum alienum ordinet, aut suscipiat. 146. 1.
 Tit. li. Episcopus servet canonum sta-tuta in conferendis ordinibus, & beneficiis; aut det pœnas. 148. 1.
 Tit. lli. Ne Episcop. causa administrandi sacramenta, munera accipiat. 149. 2.
 Tit. lli. Ne Episcopus in conferendis ec-clesiis parochialibus, aut aliis be-neficiis, ullam simoniae suspicio-nem det. 153. 1.
 Tit. liv. Ne Episcopus in aliena dioœesi Episcopalia munera exequatur. 154. 1.
 Tit. lv. Episcopi contineant se suis fini-bus, abstineantque alienis. 155. 2.
 Tit. lvi. Episcopus nihil faciat sine con-sensu Archiepiscopi, praeter ea, quæ pertinent ad suam dioœesim, & obtemperet illi. 156. 2.
 Tit. lvii. De vigilantia Episcopi in pa-scendo grege. 157. 1.
 Tit. lviii. Episcopi adhibeant diligentia in oppugnandis hereticis. 160. 2 : 461. 1.
 Tit. lix. Munus Episcopi est docere cle-ricos, & reliquum populum. 161. 2.
 Tit. lx. De judicio Episcopi. 165. 2.
 Tit. lxi. De immunitate Episcoporum. 169. 1.
 Tit. lxii. Episcopus corrigat subditos. Ibid. 2.
 Tit. lxiii. Episcopi visitent dioœeses. 172. 1.
 Tit. lxiv. De sumptibus, qui decernun-tur Episcopis, cum visitant dioœeses. 173. 1.
 Tit. lxv. Episcopi veniant ad syno-dum. 174. 1 : 244. 1.
 Tit. lxvi. Qui prius ordinati sunt Epi-scopi, priorem locum obtinere de-bent. 175. 2 : 208. 1.
 Tit. lxvii. Episcopi habeant honorem presbyteris. 176. 1.
 Tit. lxviii. Ne Episcopi sint superbi. Ibid. 2.
 Tit. lxix. Ne Episcopus sit iracundus. 177. 2.
 Tit. lxx. Ne Episcopus tributa clericis imponat, neve ipsorum, aut Ec-clesia res inuste eripiatur. Ibid.
 Tit. lxxi. Ne Episcopus in ulla re ava-ritia, aut simoniae suspicionem praœbeat. 179. 2.
 Tit. lxxii. Ne Episcopi Principibus lai-cis honorem nimium tribuant. 180. 1.
 Tit. lxxiii. Ne Episcopi negotiis sacerdotalibus operam dent. Ibid.
 Tit. lxxiv. Ne Episcopus armis utatur. 181. 2.
 Tit. lxxv. Ne Episcopi constituant sibi successores. Ibid.
 Tit. lxxvi. De adjutoribus Episcoporum. 182. 1.
 Tit. lxxvii. Ne Episcopus relicta sua ec-clesia ad aliam se transferat, nisi magna ex causa. Ibid. 2.
 Tit. lxxviii. De residentia Episcoporum, & ne sine gravi causa Imperatorem adeant. 185. 1.
 Tit. lxxix. Ne Episcopus dimittat Epi-scopatum. 186. 2.
 Tit. lxxx. Episcopus res ecclesiæ curet, illasque secundum canonum statu-ra dispenseat. 187. 1.
 Tit. lxxxi. De parte, quæ ex bonis eccl-easticis ad Episcopum pertinet. 191. 2.
 Tit. lxxxii. Omnia ecclesiastica graviora ad Episcopum deferantur, ni-hilque agant presbyteri sine ipsius consensu. 193. 1.
 Tit. lxxxiii. Ne quisquam bona Epi-scopi defuncti surripere audent. 194. 1.
 Tit. lxxxiv. Cum Episcopus non potest, curet Archiepiscopus res ecclesiæ. 196. 1.
 Tit. lxxxv. Episcopus cum discedit lon-gius ex dioœesi, deferat litteras commendaticias. Ibid.
 Tit. lxxxvi. Peregrino Episcopa locus sacrificandi detur. Ibid. 2.
 Tit. lxxxvii. Reverentur omnes Epi-scopum, nullusque illi injuriam facere audeat. Ibid.
 Tit. lxxxviii. Ne presbyteri, aut Abba-tes Episcoporum munera attingant. 202. 1.
 Tit. lxxxix. Presbyter non potest recon-ciliare pœnitentem sine jussu Epi-scopi. Ibid. 2 : 296. 1.
 Tit. xc. Communia de Episcopis. 203. 1.
L I B E R Q U I N T U S.
 De Conciliis, & Synodis, sive Conventibus.
 Tit. i. De auctoritate conciliorum. 204. 1.
 Tit. ii. Quibus de causis concilia con-gregari oporteat, & in primis ma-jora. 205. 2.
 Tit. iii. Conciliorum generalium convo-catio ad Pont. Max. pertinet. 33. 1 : 207. 1.
 Tit. iv. Legatos Pont. Max. præesse in conciliis. 35. 1 : 207. 1.
 Tit.

- Tit. v. *Quo pacto concilium habeatur, & de modestia, quam omnes in eo servare debent.* 207. 1.
- Tit. vi. *Ut prius ordinati Episcopi priorem locum in conc. obtineant.* 175. 2: 208. 1.
- Tit. vii. *Concilium generale singulis annis habeatur.* 208. 1.
- Tit. viii. *Concilium generale non iudicat de Pont. Maximo.* Ibid.
- Tit. ix. *Pontifex Maximus confirmat generale concilium,* 37. 1: 208. 2.
- Tit. x. *Canones conciliorum, & Pontificum de cetera serventur ab omnibus.* 208. 2.
- Tit. xi. *De quattuor conciliis generalibus Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chaledonensi.* 213. 1.
- Tit. xii. *De synodo Nicena.* 217. 1.
- Tit. xiii. *De numero canonum concilii Niceni.* 218. 2.
- Tit. xiv. *Canones quidam concilii Niceni, praeter viginti notos.* 219. 1.
- Tit. xv. *De symbolo Niceno, & Constantinopolitano.* 220. 1.
- Tit. xvi. *De Constantinopolitana secunda synodo generali.* Ibid. 2.
- Tit. xvii. *De Ephesina tercia synodo generali.* 221. 1.
- Tit. xviii. *De Calcedonensis quartae generali synodo.* 222. 1.
- Tit. xix. *De quinta synodo generali, Constantinopolitana secunda.* 223. 2.
- Tit. xx. *De tercia Constantinopolitana, & sexta generali synodo.* 226. 1.
- Tit. xxi. *De repetita synodo sexta Constantinopolitana in Trullo.* 228. 1.
- Tit. xxii. *De Niceno secundo, sive primo generali concilio, & de octavo, CP. quarto.* 229. 2.
- Tit. xxiii. *De eisdem octo conciliis generalibus varia.* 230. 1.
- Tit. xxiv. *De variis conciliis, in quibus interfuerunt Romani Pontifices, praeter ea, quorum extant acta, & canones.* 231. 1.
- Tit. xxv. *De constitutis Romanor. Pontificum, praeter supra scripta.* 236. 2.
- Tit. xxvi. *De falsis conciliis, aut veris corruptis, item de falsis, aut corruptis decretis Pontificum Romanorum, & de falsis Episcopis, aut Legatis, & subscriptionibus conciliorum.* 237. 1.
- Tit. xxvii. *Patriarche est convocare Metropolitanos omnes sibi subiectos ad synodum.* 240. 1.
- Tit. xxviii. *Archiepiscopi est vocare Episcopos ad concilium.* 91. 1: 240. 2.
- Tit. xxix. *Ne Archiepiscopus convocet aliena concilia.* 240. 2.
- Tit. xxx. *Synodus provincialis singulis annis sicutem semel cogatur.* Ibid.
- Tit. xxxi. *Quo pacto concilium provinciale publicari extra locum conciliis debeat.* 243. 2.
- Tit. xxxii. *Episcopi veniant ad synodum provinciale.* 174. 1: 244. 1.
- Tit. xxxiii. *Qui presbyteri, & Abbates intersint in synodis.* 244. 1.
- Tit. xxxiv. *Laici non intersunt in conciliis non generalibus.* Ibid. 2.
- Tit. xxxv. *Res omnes magna, & arduae ad synodum deferantur.* 245. 1.
- Tit. xxxvi. *Judicia de rebus gravioribus ad synodum deferuntur.* 246. 2.
- Tit. xxxvii. *Synodus judicat inter Episcopos, & clericos.* 250. 1.
- Tit. xxxviii. *Synodi est punire Episcopos, presbyteros, & reliquos cler.* Ibid. 2.
- Tit. xxxix. *De appellatione ad synod.* 252. 2.
- Tit. xl. *Reconcilientur in synodo Episcopi, vel clerici dissidentes.* 253. 1.
- Tit. xli. *De poena, qua afficitur, qui synodo non obtemperat.* Ibid. 2.
- Tit. xlii. *A synodis damnatos, & ejectedos Pont. Mex. restituit, & alia acta rescindit.* Ibid.
- Tit. xliii. *De synodis damnatis.* 254. 1.
- De synodo Ariminensi Arianorum.* Pars prima. Ibid.
- De synodo Ephesina secunda Dioecesi.* Pars secunda. Ibid.
- De pseudosynodo CP. Iconomachorum sub Constantino Copronymo Imp.* Pars tertia. Ibid. 2.
- De pseudosynodis CP. Photii.* Pars quarta, 255. 1.
- De synodo quadam Romana, in qua damnatus est Formosus Papa.* Pars quinta. 256. 2.
- De aliis conciliis inutilibus, & damnatis.* Pars sexta. 257. 1.
- Tit. xliv. *Communia de conciliis.* 258. 1.
- Tit. xlvi. *De synodis Episcopalibus.* Ibid. 2.
- L I B E R S E X T U S .
- De Chor episcopis, & Presbyteris, sive Sacerdotibus.*
- Tit. i. *De institutione Chor episcoporum, & ne Chor episcopi Episcoporum munera attingere audeant.* 259. 1.
- Tit. ii. *De rebus, quas Chor episcopi facere possunt.* 262. 2.
- Tit. iii. *De institutione presbyterorum.* Ibid.
- Tit. iv. *De potestate, & dignitate presbyteri, sive sacerdotis.* 264. 1.
- Tit. v. *De ordinatione presbyterorum.* 265. 2.
- Tit. vi. *Ne laicus statim presbyter fieri.* Ibid. & 436. 2.
- Tit. vii. *Qui prohibeantur esse presbyteri.* 268. 1.
- Tit. viii. *De aetate presbyterorum.* 269. 1.
- Tit. ix. *Presbyteri sint docti, & sciant administrare sacramenta.* Ibid. 2.
- Tit. x. *Munus presbyteri est docere, & corriger plebem.* 271. 1.
- Tit. xi. *Ne presbyteri ecclesias accipiant a laicis, sed ab Episcopis.* 273. 2.
- Tit. xii. *De parte, quæ ex redditibus ecclesiasticis ad presbyterum pertinet.* 274. 2.
- Tit.

- Tit. xiii. *Quomodo presbyteri bona ecclesiae dispensare debeant.* Ibid.
 Tit. xiv. *Presbyter pauperes alat.* 275. 2.
 Tit. xv. *De benedictione presbyteri.* Ibid.
 Tit. xvi. *De variis muneribus presbyteri.* 276. 1.
 Tit. xvii. *Presbyteri constituantur in vicis, & in parvis civitatibus.* Ibid. 2.
 Tit. xviii. *De residentia, & ministerio presbyterorum in suis ecclesiis; & ut presbyteri, qui in vicis degunt, diebus sollemnioribus ad civitatem veniant.* 277. 1.
 Tit. xix. *Ecclesiis presbyteri proprii præficiantur, & non conducticii.* Ibid.
 Tit. xx. *De modo eligendi parochum: & ut electus curam populi suscipiat.* Ibid. 2.
 Tit. xxi. *De presbyteris peregrinis.* Ibid.
 Tit. xxii. *Ne presbyteri parochianos alienos apud se recipiant: neve illic sacramenta conferant.* Ibid.
 Tit. xxiii. *Varia de parochis, & ecclesiis parochialibus.* 278. 1.
 Tit. xxiv. *Habeatur honor presbyteris.* Ibid. 2.
 Tit. xxv. *De ordine antiquorum presbyterorum & aliorum clericorum servando.* 280. 1.
 Tit. xxvi. *De vita, & honestate presbyterorum.* Ibid. 2.
 Tit. xxvii. *De castitate presbyteri.* 282. 2.
 Tit. xxviii. *Ne presbyter uxorem ducere audeat, aut concubinam.* 283. 2.
 Tit. xxix. *Presbyter, qui habet uxorem, abstineat ab illa.* 284. 2.
 Tit. xxx. *Ne apud presbyterum habitent feminæ præter matrem, & sororem, & quasdam alias personas.* 287. 1.
 Tit. xxxi. *Ne femina ulla apud presbyterum habitat.* 289. 1.
 Tit. xxxii. *Ne presbyter solus sermones conferat cum feminis.* Ibid. 2.
 Tit. xxxiii. *De presbyteris, qui informationem inciderunt.* 290. 2.
 Tit. xxxiv. *Ne quisquam audiat Missam presbyteri, quem scit concubinam habere.* 292. 1.
 Tit. xxxv. *Presbyter habeat semper secum testes suæ vitæ.* Ibid.
 Tit. xxxvi. *De temperantia presbyteri in viatu.* Ibid.
 Tit. xxxvii. *De vestibus sacerdotum.* 293. 2.
 Tit. xxxviii. *De tonsura presbyteri.* 294. 1.
 Tit. xxxix. *Presbyteri obedient Episcopum.* Ibid.
 Tit. xl. *Presbyteri nihil agant sine consensu Episcopi.* 295. 1.
 Tit. xli. *Presbyter petat chrismam suo Episcopo, & non ab alieno.* 296. 1.
 Tit. xlii. *Presbyter non potest reconciliare pœnitentem iussu Episcopi.* 202. 2: 296. 1.
 Tit. xliii. *Ne presbyter duas ecclesias obtineat.* 296. 1.
 Tit. xliv. *Ne presbyter relicta sua ecclesia ad aliam se transferat.* 297. 1.
 Tom. V.
- Tit. xlv. *De presbyteris, qui ante ordinacionem, vel postea crimen capitale commiserunt.* 298. 1.
 Tit. xlvi. *Presbyter, qui pœnitentiam suscepit ea peracta potest sacra facere.* Ibid. 2.
 Tit. xlviij. *Nullam presbyteri in ordinum susceptione, aut reliquorum sacramentorum administratione simoniam committant.* 299. 1.
 Tit. xlviij. *Ne presbyteri pretio sacerdotia consequantur.* 301. 2.
 Tit. xlix. *Ne presbyteri avaritiae student.* 302. 1.
 Tit. l. *Ne presbyteri negotiis secularibus dent operam.* Ibid. 2.
 Tit. li. *Ne presbyter ludos secularares speget.* 303. 2.
 Tit. lii. *Ne presbyteri vagentur per plateas, aut alibi.* 304. 1.
 Tit. liii. *Ne presbyter renationi, aut auctoripio operam det.* Ibid. 2.
 Tit. liv. *Ne presbyter arma portet.* 305. 1.
 Tit. lv. *De variis rebus, quas presbyteri facere prohibentur.* Ibid.
 Tit. lvi. *De Presbyteris, qui prohibentur offerre sacrificium.* 306. 2.
 Tit. lvii. *Presbyter excommunicatus a suo Episcopo, non suscipiat ab alio.* Ibid. 2.
 Tit. lviii. *Ne presbyter sine formata suscipiat.* Ibid.
 Tit. lix. *De feminis, quæ presbyteræ appellantur.* 307. 1.
 Tit. lx. *De filiis presbyterorum.* Ibid. 2: 406. 1.
 Tit. lxi. *De Archipresbyteris, & de eorum officio.* 307. 2.
 Tit. lxii. *De Decanis.* 308. 2.
 Tit. lxiii. *De Capitulis, & Collegiis, & Canonicis ecclesiarum cathedralium.* 309. 1.
 Tit. lxiv. *De Presbyteris Cardinalibus, & de titulis Presbyterorum Urbis Romanae.* 310. 1.
- LIBER SEPTIMUS.
- De Diaconis, & Hypodiaconis, & Diaconissis.
 Tit. i. *De institutione diaconorum, & de variis eorum muneribus.* 312. 1.
 Tit. ii. *Diaconi ministri sunt presbyteri in sacrificio missæ, possuntque eucharistiam tribuere laicis.* 314. 2.
 Tit. iii. *A quo ordinetur diaconus, & ne quisquam præter Episcopum manus illi imponat.* Ibid.
 Tit. iv. *Ne quis diaconus, aut hypodiaconus ordinetur, qui non prius ordines inferiores suscipiat.* 315. 1: 337. 2.
 Tit. v. *De ætate, & qualitate ordinandorum diaconorum.* 316. 1.
 Tit. vi. *De vestibus, & insignibus diaconorum.* Ibid. 2.
 Tit. vii. *De alimentis diaconorum.* 317. 1.
 Tit. viii. *Diaconi habeant honorem Episcopis, & presbyteris, & anti-*
quio-

- quioribus diaconis; & clerici inferiores diaconis. Ibid. 2.
- Tit. ix.** Diaconi nihil agant sine consensu Episcopi, & revereantur illum. 318. 2.
- Tit. x.** Diaconi, & alii clerici, qui in vicis degunt, diebus sollemnioribus ad civitatem veniant. 319. 1.
- Tit. xi.** Ne diaconus in aliena civitate commoretur, neve suam ecclesiam relinquit. Ibid.
- Tit. xii.** Ne diaconus sine litteris sui Episcopi suscipiat. Ibid. 2.
- Tit. xiii.** De vita, & honestate diaconorum, & hypodiaconorum. 320. 1.
- Tit. xiv.** De temperantia diaconi, & hypodiaconi in vita. Ibid.
- Tit. xv.** De castitate diaconi, & hypodiaconi. Ibid. 2.
- Tit. xvi.** Ne diaconus, vel hypodiaconus uxorem ducere audeat, aut concubinam habere. Ibid.
- Tit. xvii.** Diaconus, & hypodiaconus, qui habet uxorem, abstineat ab ea. 322. 1.
- Tit. xviii.** Ne apud diaconum, vel hypodiaconum habitent feminæ, præter matrem, & sororem, &c. 324. 2.
- Tit. xix.** Ne diaconus solus sermones conferat cum feminis. 325. 2.
- Tit. xx.** De diaconis, & hypodiaconis, qui in fornicationem inciderunt. 326. 1.
- Tit. xxi.** De filiis diaconorum, & aliorum clericorum. 327. 1.
- Tit. xxii.** Diaconus & hypodiaconus habeant semper secum testes suæ vitae. Ibid.
- Tit. xxiii.** Ne diaconi, aut hypodiaconi usuras exigant. Ibid. 2.
- Tit. xxiv.** De diaconis, qui prelio ordines obinent, aut res alias spirituales vendunt. Ibid.
- Tit. xxv.** Ne diaconi, aut hypodiaconi negotiis secularibus operam dent. 328. 1.
- Tit. xxvi.** Ne diaconus vestitus seculari utatur. Ibid. 2.
- Tit. xxvii.** Ne diaconus venationi, aut auctiis operam dicit. 329. 1.
- Tit. xxviii.** Diaconus non potest offerre sacrificium. Ibid.
- Tit. xxix.** Diaconus non baptizet iussu Episcopi, aut presbyteri, nisi cum necessitas compellit. Ibid.
- Tit. xxx.** De diacono, vel hypodiacono, qui crimen capitale ante ordinationem, vel postea commisit. Ibid. 2.
- Tit. xxxi.** Communia de Diaconis. Ibid.
- Tit. xxxii.** De Diaconis Cardinalibus. 330. 1.
- Tit. xxxiii.** De Archidiacono, & de officio, & potestate ejus. 331. 1.
- Tit. xxxiv.** De hypodiaconis, & muneribus, quæ ad eos pertinent. 333. 1.
- Tit. xxxv.** Hypodiaconus non ordinetur ante vicefimum annum. Ibid. 2.
- Tit. xxxvi.** De ceremoniis in ordinatione hypodiaconi. Ibid.
- Tit. xxxvii.** De his, quæ hypodiaconi facere prohibentur. 334. 1.
- Tit. xxxviii.** Diaconissæ non ordinentur ante quadragesimum annum. Ibid.
- Tit. xxxix.** Diaconissæ non nubant. Ibid.
- Tit. xl.** De diaconissæ non ordinandis. 335. 1.
- Tit. xli.** Communia de diaconissæ. Ibid. 2.
- L I B E R O C T A V U S.**
- De Acolythis, & aliis clericis inferioribus.
- Tit. i.** De acolythis, & de eorum officio. 335. 1.
- Tit. ii.** De exorcistis, & eorum officio. Ibid. 2.
- Tit. iii.** De lectoribus, & eorum officio, & de his, quæ facere prohibentur. 336. 1.
- Tit. iv.** De ostiariis, & de eorum officio. Ibid. 2.
- Tit. v.** De psalmistis, sive cantoribus & de custodibus martyrum; & de eorum officiis. 337. 1.
- Tit. vi.** De minorib. ordinib. ante sacros ordines suscipiendis. 315. 1: 337. 2.
- Tit. vii.** Clerici inferioris ordinis habent clericis ordinis superioris, & laici clericis honorem. 337. 2.
- Tit. viii.** Clerici, qui non sunt sacris ordinibus iniciati uxores ducere possunt. 338. 1.
- Tit. ix.** De œconomo, defensore, excutore, & paramonario, & de eorum officio. Ibid.
- Tit. x.** De clericorum nomine, & munere. 339. 1.
- Tit. xi.** De tonsura clericorum. Ibid. 2.
- Tit. xii.** Quales debeant esse clerici. 340. 2.
- Tit. xiii.** Clerici meliores collocentur in altiori dignitatis gradu. 341. 2.
- Tit. xiv.** Clerici ordinantur ab Episcopo, vel Chorépiscopo, cum consensu clericorum. 342. 1.
- Tit. xv.** Ne clericus alienus ordinetur sine licentia sui Episcopi. Ibid.
- Tit. xvi.** De his, qui clerici ordinari non prohibentur. 343. 1.
- Tit. xvii.** De vita communis clericorum. Ibid.
- Tit. xviii.** Quo pacto sint educandi clerici a pueritia. 344. 1.
- Tit. xix.** De omentis clericorum. 345. 1.
- Tit. xx.** Ne plures clerici in ecclesiis constituantur, quam earum facultates ferre possunt. 346. 1.
- Tit. xxi.** Clerici vietum sibi querant aliquo artificio, vel opere. Ibid. 2.
- Tit. xxii.** De exercitationibus clericorum. Ibid.
- Tit. xxiii.** De vestibus clericorum. 347. 1.
- Tit. xxiv.** Clerici servent gravitatem, & ludos secularis non spectent. Ibid. 2.
- Tit. xxv.** De ordine clericorum servando. 348. 1.
- Tit. xxvi.** Ne cum clericis habitent feminæ, præter matrem, &c. Ibid.
- Tit. xxvii.** Ne clericus feminis valde familiariter utatur, neque solus cum illis sermones conferat. 350. 1.
- Tit. xxviii.** Communia de continentia clericorum. 351. 1.
- Tit. xxix.** Clerici revereantur Episcopum,

- pum, *O* nibil agant sine eius con-
fessu. Ibid. 2.
- Tit. xxx. Ne clericus sine litteris sui
Episcopi discedat, neve abullo su-
scipiatur. 352. 1.
- Tit. xxxi. Ne clericus in aliena civita-
te commoretur, neque suam eccl-
esiam relinquit. 353. 2.
- Tit. xxxii. Ne quisquam clericum alie-
num a suo Episcopo avocet. 355. 1.
- Tit. xxxiii. Nullus clericus censeatur in
duabus ecclesiis, aut in una duo
obtineat beneficia. Ibid.
- Tit. xxxiv. Ne clerici a laicis ecclesiis
accipiatis, neve laici illas confe-
rant. Ibid. 2.
- Tit. xxxv. De immunitate clericorum. 356. 1.
- Tit. xxxvi. De clericis, qui in ordinum
susceptione, aut in aliorum sacra-
mentorum administratione simo-
niam committunt. 357. 1.
- Tit. xxxvii. Ne clerici beneficia eccl-
esiastica, aut res alias spirituales
emant, aut vendant. 360. 2.
- Tit. xxxviii. Ne clerici exigant usuras. 361. 1.
- Tit. xxxix. Ne clerici negotiis seculari-
bus dent operam. 362. 2.
- Tit. xl. Ne clerici alea ludant. 364. 1.
- Tit. xli. Ne clerici vagentur, aut otiosi
in foro sedcant. Ibid.
- Tit. xlii. Ne clerici venationi, aut au-
cupio operam dent. Ibid. 2.
- Tit. xliii. Ne clerici armis utantur. Ibid.
- Tit. xlii. Ne clerici gulæ, aut ebrietati
dediti sint. 365. 1.
- Tit. xlv. Clerici ne ingrediantur taber-
nas. Ibid. 2.
- Tit. xlvi. De poena, qua afficitur cleri-
cus, qui munus suum negligit. 366. 1.
- Tit. xlviij. De clericis apostatis. Ibid. 2.
- Tit. xlviii. Communia de clericis. Ibid.
- L I B E R N O N U S.**
- De Monachis, & Canonicis regularibus,
& de sacris Virginibus.
- Tit. i. Ne religiones novæ instituan-
tur, neve monasteria sine jussu
Episcopi ædificantur. 368. 1.
- Tit. ii. De voto. Ibid.
- Tit. iii. Ne quisquam ante legitimam
ætatem monachus fiat. Ibid. 2.
- Tit. iv. Ne quis invitatus efficiatur mo-
nachus. 369. 1.
- Tit. v. Ne quisquam fiat monachus
cum spe ascendendi ad altioris di-
gnitaris gradum. Ibid.
- Tit. vi. In monasteriis tantum hæ per-
sonæ sint, quæ ali possint. Ibid.
- Tit. vii. De probatione regularium per-
sonarum. Ibid. 2.
- Tit. viii. De professione monachorum. 370. 1.
- Tit. ix. Monachi servent regulam,
quam profitentur. Ibid.
- Tit. x. Filii a parentibus monasterio
traditi, si postea consenserint,
- non possunt inde discedere. 371. 1.
- Tit. xi. De conjugibus, qui ad religio-
nem se conferunt. Ibid. 2.
- Tit. xii. Quo pacto servi possint fieri
monachi. 372. 1.
- Tit. xiii. Quibus de causis aliquæ per-
sonæ monasteriis includantur. Ibid. 2.
- Tit. xiv. De pauperitate, *O* obedientia
monachorum. 373. 2.
- Tit. xv. De jejuniis monachorum. 374. 2.
- Tit. xvi. De virginitatis laudibus. 375. 1.
- Tit. xvii. De castitate monachorum, *O*
Canonicorum. Ibid.
- Tit. xviii. Ne monachi cum feminis
sint in balneis. 376. 2.
- Tit. xix. Ne feminæ habitent in mona-
steriis monachorum, aut ea ingre-
diatur, neque viri introeant in
monasteria sanctimonialium. Ibid.
- Tit. xx. Ne monasteria monachorum,
O sanctimonialium sint dupli-
cia, vel vicina, neve in eodem
choro sint. 377. 1.
- Tit. xxi. Presbyteri, aut monachi, qui
faciunt sacra apud sanctimonialia
les, statim discedant. Ibid. 2.
- Tit. xxii. Ne Monachi, vel Canonici
feminis, neve sanctionales vi-
ris valde familiariter utantur. Ibid.
- Tit. xxiii. De sanctomialibus lapsis,
O de earum corruptoribus. 379. 1.
- Tit. xxiv. De virginibus sacris, quo
per vim fuerunt stupratae. 383. 2.
- Tit. xxv. Ne sanctomialis habitet
cum Episcopo, aut presbytero, aut
quocumque alio viro. Ibid.
- Tit. xxvi. Ne quispiam præficiatur
monasteriis sanctomialium in-
jussu Episcopi, neve ipse præfe-
ctus familiariter versetur cum
eis. 384. 1.
- Tit. xxvii. Monachi, *O* sanctionali-
les, horas canonicas cantent. Ibid.
- Tit. xxviii. Monachi ascendere possunt
ad sacros ordines, si Episcopus,
O Abbas assensum præbeant. Ibid. 2.
- Tit. xxix. Monachi, qui ad Episcopa-
tum ascendunt, uti debent vesti-
tu monachali. 385. 2.
- Tit. xxx. Etiam clerici possunt mona-
chi fieri, exceptis Episcopis. 386. 1.
- Tit. xxxi. De monachis, *O* sanctimo-
nialibus ab instituto vitæ cursu
discedentibus. Ibid.
- Tit. xxxii. De variis rebus, quas mona-
chi facere prohibentur. 388. 1.
- Tit. xxxiii. Ne monachi negotiis secu-
laribus dent operam. Ibid. 2.
- Tit. xxxiv. Ne simonia locus ullus sit
apud monachos, *O* sanctionali-
les. 390. 2.
- Tit. xxxv. Ne monachi fenerentur. 391. 2.
- Tit. xxxvi. Ne monachi introeant in
tabernas, aut ebrietati sint dediti. Ibid.
- X x 2


- Tit. xxxvii. *Ne monachi intersint nuppiis, aut ludis publicis, aut surpibus.* 392. 1.
 Tit. xxxviii. *De monachorum vel sanctimonialium vestitu.* Ibid.
 Tit. xxxix. *Ne monachi laicis sacramenta tribuant.* Ibid. 2.
 Tit. xl. *Quonam modo possint monachi, vel Canonici ex una religione ad aliam se conferre.* Ibid.
 Tit. xli. *De monachis, qui vagantur, aut ignoti sunt, aut fingunt se monachos esse.* Ibid.
 Tit. xlii. *De monachis solitariis, & cemitisis.* 394. 1.
 Tit. xlvi. *De Abbatore, sive Preposito monachorum, & de electione eius, & munere.* 395. 1.
 Tit. xliv. *De Prioribus monachorum.* 396. 2.
 Tit. xlvi. *Abbates monachorum, & Canonorum, & Abbatissae dent operam, ut suppetant monachis, quæ necessaria sunt.* 397. 1.
 Tit. xlvi. *Ne unus Abbas præsit duobus monasteriis, aut duo Abbates unius monasterio.* Ibid. 2.
 Tit. xlvi. *De capitulo Abbatum.* 398. 1.
 Tit. xlvi. *Ne laici monachis præsint, aut apud illos habitent, aut Abbatias conferant, neve monachi eas ab ipsis accipere audeant.* Ibid. 2.
 Tit. xlix. *De Abbatibus, & aliis Prelatis Canonorum, & de eorum munere.* 400. 1.
 Tit. i. *De vita, & honestate Canonorum.* 401. 2.
 Tit. ii. *De viciu, & vestitu Canonorum.* 403. 2.
 Tit. iii. *De Canoniciis beati Augustini, quibus nihil erat proprium.* 405. 1.
 Tit. liii. *De capitulis Canonorum, & de visitandis eorum monasteriis.* Ibid.
 Tit. liv. *De claustris Canonorum, & de officio janitoris.* Ibid. 2.
 Tit. lv. *De cællario, & pistrino præfectis, & de aliis famulis Canonorum.* Ibid.
 Tit. lvi. *De nosocomio Canonorum.* 406. 1.
 Tit. lvii. *Filii presbyterorum, vel Canonorum & alii illegitimi Canonici sacris possunt initiri.* 307. 2: 406. 1.
 Tit. lviii. *Communia de Canoniciis regularibus.* 406. 1.
 Tit. lix. *De Canoniciis feminis.* Ibid. 2.
 Tit. lx. *Ad Episcopum pertinet cura monachorum, & sacrarum virginum, & monasteriorum.* 407. 2.
 Tit. lxi. *Monachi, & Canonici, & sanctimoniales sint in potestate Episcopi illumque reverantur, & ne injussu ipsis discedant.* 408. 2.
 Tit. lxii. *Ne Episcopi potestate sibi in monachos concessa abutantur.* 409. 2.
 Tit. lxiii. *Ne Abbas injussu Episcopi res monasterii alienet.* Ibid.
 Tit. lxiv. *Monachi decimas prædiorum dent ecclesiæ.* 410. 1.
 Tit. lxv. *Qualis debeat esse Abbatissa, & de ejus munere.* Ibid. 2.
 Tit. lxvi. *Quæ ætate, & qua die oporteat virgines conservari.* 411. 1.
 Tit. lxvii. *Ne quisquam præter Episcopum virgines consecrari.* 412. 1.
 Tit. lxviii. *De consecratione viduarum.* Ibid. 2.
 Tit. lxix. *Virgines aliquæ, & viduæ non consecratæ, nubere prohibentur.* 413. 1.
 Tit. lxx. *Ne virgines nuptias execrentur.* Ibid. 2.
 Tit. lxxi. *Sanctimoniales ne egrediantur ex monasterio, & de portaria, sive janirrice.* 414. 1.
 Tit. lxxii. *Virgines, & Viduæ, quæ se Deo consecrant, vitent corporis nimium ornatum.* 415. 1.
 Tit. lxxiii. *Ne sanctimoniales vasas facra, aut pallas contingat.* Ibid.
 Tit. lxxiv. *Communia de sanctimonialibus.* Ibid. 2.
 Tit. lxxv. *De privilegiis concessis aliquibus religiosis, & ne eis abutantur.* Ibid.
 Tit. lxxvi. *De quibusdam Pontificibus Maximis, qui monasteria ædificarunt.* 416. 2.
 Tit. lxxvii. *Communia de monachis.* 417. 1.
 LIBER DECIMUS.
De Laicis catholicis.
 Tit. i. *Quales debeat esse Christiani.* 419. 1.
 Tit. ii. *Qualis debeat esse Rex, & quod sit ejus munus.* 420. 2.
 Tit. iii. *De Regis potestate, & de dignitate potestatis sacerdotalis, quæ major est Regia.* 424. 1.
 Tit. iv. *De utilitate, quam optimi Principes rebus ecclesiasticis afferunt.* 425. 1.
 Tit. v. *Quales judices, & ministros a Rege constitui oporteat.* Ibid. 2.
 Tit. vi. *Ne Rex sit superbus, aut crudelis.* 426. 1.
 Tit. vii. *Subditæ Regibus obedient, & opem ferant.* Ibid. 2.
 Tit. viii. *Communia de Regibus.* 427. 1.
 Tit. ix. *Laici primitias, decimas, & oblationes clericis persolvant, & ne suas, aut alienas sibi retinere audeant.* Ibid. 2.
 Tit. x. *Ne laici beneficia injussu Episcopi tribuere, aut clerici ab ipsis accipere audeant.* 429. 2.
 Tit. xi. *Ne laici rebus ecclesiasticis se immisceant, aut eas sibi vindicent, aut tributa clericis imponant.* 432. 2.
 Tit. xii. *Ne laici Gentilium, aut judæorum, aut hereticorum dies festos collant, aut illorum superstitionibus favent.* 435. 2.
 Tit.

- Tit. xiii. Ne laici fiant Episcopi, presbyteri, vel diaconi, aut inferioris ordinis clerici, sed per gradus tempora ascendant. 110. 1: 265. 2: 315.
 1: 337. 2: 436. 2.
 Tit. xiv. Ne laici dominicis, & festis diebus absint ab ecclesia sua. 437. 1.
 Tit. xv. Fideles erudiantur a sacerdotibus. Ibid. 2.
 Tit. xvi. De honore a laicis, & aliis deferenda his, qui digni sunt. Ibid.
 Tit. xvii. De energumenis, & amentibus. 438. 1.
 Tit. xviii. Parentes filios nutriant, & erudiant. Ibid. 2.
 Tit. xix. Filii obedient parentibus, & servi dominis suis. 439. 1.
 Tit. xx. De servis, & libertis. non ordinandis. Ibid.
 Tit. xi. Quo pacto servi possint effici monachi. 440. 1.
 Tit. xxii. Quo modo manumitti possint servi ecclesiae. Ibid.
 Tit. xxiii. Liberti ecclesiae semper sunt addicti ipsi ecclesiae, cuius fuerunt servi, & omnes eorum posteri. 441. 1.
 Tit. xxiv. Quibus de causis liberti ecclesiae in servitatem revocentur. Ibid. 2.
 Tit. xxv. De conjugio servorum, & libertorum. 442. 1.
 Tit. xxvi. De manumissis in ecclesia. Ibid. 2.
 Tit. xxvii. Communia de servis, & libertis ecclesiae, & aliorum. 443. 1.
 Tit. xxviii. Communia de laicis. 444. 1.
L I B E R U N D E C I M U S.
 De Hæreticis, & Apostatis, & Schismaticis.
 Tit. i. Ne quisquam de fide catholica disputeret in turba, neve symbolum fidei componat. 445. 1.
 Tit. ii. Fide recta, & operibus bonis consequimur Christiani æternam felicitatem. 446. 2.
 Tit. iii. Communia de fide. 448. 2.
 Tit. iv. De apostatis, & de pœnitentia illis imponenda. 449. 1.
 Tit. v. De pœnitentia imponenda hæreticis resipiscientibus. 453. 2.
 Tit. vi. De recipiendis hæreticis, cum resipiscunt. 454. 1.
 Tit. vii. Hæretici, cum recipiuntur ab ecclesia, detestentur hæresim, in qua fuerunt. 455. 2.
 Tit. viii. Hæretici sine forma Ecclesie baptizati, si ad Ecclesiam veniunt iterum baptizentur. 457. 2.
 Tit. ix. Hæretici rite baptizati per manus impositionem, aut per fidei professionem suscipiantur ab Ecclesia. 459. 1.
 Tit. x. Baptizati apud hæreticos, qui formam Ecclesiae servant, non rebaptizentur. 460. 1.
 Tit. xi. Num hæretici post mortem possint damnari, aut absolvi. Ibid. 2.
 Tit. xii. Episcopi adhibeant diligentiam
- in oppugnandis hæreticis. 160. 2: 461. 1.
 Tit. xiii. Principum est, opem ferre Ecclesia contra hæreticos. 461. 1.
 Tit. xiv. De libris hæreticorum reiciendis, & conaburendis. Ibid. 2.
 Tit. xv. Hæreticis mos est, catholicorum libros depravare. 463. 1.
 Tit. xvi. Ne catholicci communicent cum hæreticis, neve illorum dona accipiant. Ibid.
 Tit. xvii. Ne catholicci matrimonia cum hæretici contrahant. 465. 1.
 Tit. xviii. Hæreticus non potest accusare, neque esse testis. Ibid. 2.
 Tit. xix. Ne clericis donent, aut relinquent bona sua hæreticos. 467. 2.
 Tit. xx. De ordinatis ab hæreticis, & schismaticis. Ibid.
 Tit. xi. Ne hæretici, aut baptizati ab hæreticis sacris initientur, exceptis Novatianis, & aliis quibusdam. 470. 2.
 Tit. xxii. De pœnis, quæ propositæ sunt sautoribus hæreticorum. 471. 2.
 Tit. xxiii. De basilicis hæreticorum. 472. 2.
 Tit. xxiv. De Novatianis, sive Catharis, & de pœnitentia lapsis non denganda. 473. 1.
 Tit. xxv. De Origenis, & sociorum damnatione. Ibid. 2.
 Tit. xxvi. Contra Paulum Samosateum, & Photinum, & alios, qui Christum tantum esse hominem dicebant. 475. 1.
 Tit. xxvii. Contra Sabellianos, & Priscillianistas, Eustathianos, & alios, personas Divinas vera distinctas esse. Ibid. 2.
 Tit. xxviii. De Manichæis, & de variis eorum erroribus. 476. 2.
 Tit. xxix. Contra Manichæos, Priscillianistas, Eustathianos, & alios, qui cibos carnium detestabantur. 477. 2.
 Tit. xxx. Contra Catharos, Manichæos, Eustathianos, Priscillianistas, & alios, qui primas, vel secundas nuptias damnabant. 478. 1.
 Tit. xxxi. De æqualitate trium Divinarum personarum contra Arianos. 479. 1.
 Tit. xxxii. Varia de Arianis. 480. 2.
 Tit. xxxiii. Contra Macedonium, qui spiritum sanctum creaturam esse dicebat. 481. 1.
 Tit. xxxiv. Contra Eustathium, & socios, qui varias hæreses amplectebantur. Ibid. 2.
 Tit. xxxv. Contra Apollinarem qui Christum anima rationis participationem habere negabat. 482. 2.
 Tit. xxxvi. De Priscillianistis, variisque eorum erroribus. 483. 2.
 Tit. xxxvii. Contra Priseillianistas, qui dicebant, non anima a Deo fuisse creata. 484. 2.
 Tit. xxxviii. De anima, & corpore humano,

- mano, & de resurrectione mortuorum decreta catholica contra Manichaeos, Priscillianistas, & alios hereticos. 485. 1.
- Tit. xxxix. Contra Pelagianos, qui gratiam Divinam non esse necessariam, sed liberum arbitrium homini sufficere dicebam. 486. 1.
- Tit. xl. De baptismo pueris necessario, & de peccato originali, contra Pelagianos, & alios hereticos. 489. 2.
- Tit. xli. Contra Pelagianos, qui dicebant, justum numquam peccare. 492. 1.
- Tit. xlii. De Donatistis, qui baptismum hereticorum nullo modo admittiebant. Ibid. 2.
- Tit. xliii. Contra Nestorianos, & eos, qui in Christo duas personas constituebant. 493. 1.
- Tit. xliv. Contra Eutychen, Dioscorum, Acephalos, & alios hereticos, qui in Christo duas naturas negabant. 494. 2.
- Tit. xlv. Ne quisquam addat Trisagio: Qui crucifixus es, &c. contra Peterum Fullonem Antiochenum. 496. 2.
- Tit. xlvi. Contra Monothelitas, qui tantum unam voluntatem, & unam operationem Christo tribuebant. 497. 1.
- Tit. xlviij. De Iconomachis, & de veneratione imaginum. 498. 2.
- Tit. xlviii. Contra Berengarium, & reliquos Sacramentarios, qui corpus Christi vere esse in sacramento Eucharistie negant. 499. 1.
- Tit. xlix. Contra Gilbertum Porretum Pictavensem Episcopum. 501. 2.
- Tit. l. Contra aliquos hereticos, qui librum arbitrium negant. 502. 1.
- Tit. li. Contra Grecos, qui dicunt Spiritum sanctum procedere tantum a Patre, & non a Filio. Pars prior. Ibid.
Varia de cunctis, in quibus Spiritus sanctus dicitur procedere a Patre, non facta mentione Fili, in quibus tamen non excluditur Filius. Pars posterior. 504. 1.
- Tit. lii. Contra varios hereticos, quorum haereses ad certa capita redigi possunt. Ibid. 2.
- Tit. liii. De Paenit, quae sunt hereticis constituta. 507. 1.
- Anathemata contra hereticos. Pars prior. Ibid.
De aliis paenit hereticorum. Pars posterior. Ibid. 2.
- Tit. liv. De schismaticis. Ibid.
- Tit. lv. Varia de cunctis, in quibus simonia dicitur haeresis simoniaca. 509. 2.
- Tit. lvi. Communia de hereticis, & schismaticis. 510. 2.

- L I B E R D U O D E C I M U S.**
De Judaeis, & Paganis.
- Tit. i. Ne Judaei inviti cogantur suscipere Christianam religionem. 512. 1.
- Tit. ii. De privilegiis Judaeor. qui ad Christianam fidem se conferunt. Ibid. 2.
- Tit. iii. De Judaeis, qui a religione Christiana defecerunt. 513. 1.
- Tit. iv. Judaeorum filii fideles apud Christianos edacentur, & non priventur hereditate paterna. Ibid. 2.
- Tit. v. De Judaeorum servis, praesertim Christianis. 514. 1.
- Tit. vi. Nulli Judaeis magistratus, aut honores mandentur. 515. 1.
- Tit. vii. Ne Judaei Christianas, neve Christiani Judaeas uxores ducant, aut illis copulentur. Ibid. 2.
- Tit. viii. Ne Judaei clericos accusent, neve Christianorum testimonia recusent. 516. 2.
- Tit. ix. Ne Christiani cum Judaeis cibum sumant, neve eis valde familiariter utantur. Ibid. 2.
- Tit. x. Ne Judaei in feriis Passionis, & Resurrectionis Christi in publicum prodeant. 517. 1.
- Tit. xi. Ne Christiani Judaeorum ferias agant, neve alio modo eorum ritibus faveant. Ibid. 2.
- Tit. xii. Ne Judaei Christianos usurpexent. 518. 1.
- Tit. xiii. Principes Christiani propagant ab Ecclesia injurias Judaeorum. Ibid.
- Tit. xiv. Communia de Judaeis. Ibid.
- Tit. xv. De Paganis, & quod Ecclesia cupit omnes infideles ad fidei cognitionem pervenire. 519. 2.
- Tit. xvi. Dent operam Christiani, ut aboleatur cultus idolorum. Ibid.
- Tit. xvii. Ne Pagani cogantur suscipere fidem Christi. 521. 1.
- Tit. xviii. Ne Christiani communicent cum Paganis, neque eorum libros legant. Ibid.
- Tit. xix. Ne fideles conjungantur cum Paganis. 522. 1.
- Tit. xx. Ne Christiani Paganorum superstitioni faveant. Ibid.
- Tit. xxi. Ne Christiani deferant ad Paganos arma, & alia, quibus ipsi nocere possint reipubl. Christianæ. 523. 1.
- Tit. xxii. Pagani non gerant magistratus, neque habeant mancipia Christiana. Ibid. 2.
- Tit. xxiii. Infidelis non potest accusare Christianum. Ibid.
- Tit. xxiv. De iis, qui credunt, & nondum sunt baptizati. 524. 1.
- Tit. xxv. Communia de Paganis. Ibid.

FRANCISCI ADUARTIS
IN
JURIS PONTIFICII VETERIS EPITOMEN
NOTATIONES.



AD ANTON. CARRAFAM CARDINALEM
 FRANCISCI ADUARTIS
 PRÆFATIO.

QUAMVIS hi libri Antonii Augustini Archiepiscopi Tarragonensis, quos in manibus habeo, nonnullis difficultatibus implicati sint, nihil tamen mihi tantum negotium facit, quantum crebra eorundem canonum repetitione, quam ex altera parte utilem esse puto, ex altera vero timeo, ne cuiuspiam molesta fortasse videatur. Quoniam autem tu ipse Cardinalis amplissime me ad suscipiendum hoc onus impulsisti, te oro, atque obsecro, ut modo ab occupationibus maximis, quibus te distentum esse certo scio, animum paulisper avoces, proponam enim breviter rationes, quæ in utramque partem occurrunt, ut his cognitis, penitusque perspectis, tuam sententiam, cui valde ego assentiar, explicare, totamque hanc controversiam dijudicare possis. Egi ego persæpe de hac repetitione cum ipso Archiepiscopo, & licet virum illum eruditissimum magna observantia colerem, de hac una re tamen ab ipso aliquando dissentiebam, ejusmodique repetitionem his argumentis oppugnabam. Primo fastidium illi obiiciebam, quod canones repetiti essent legentibus allaturi. Addebam repetitionem hanc repugnare methodo, qua viri doctissimi in tradendis artibus semper usi sunt, quibus nihil antiquius est, cum accurate de aliqua disputant, quam ea quæ videntur supervacanea refecare. His adjungebam inscriptionem nullo modo cum his libris congruere, multoque illorum molem majorem esse, quam titulus præferret: absurdum autem esset cum ipse epitomen se scribere profiteretur, ita ab instituto discedere, ut non solum Romanorum Pontificum, & Conciliorum decreta semel proferret, sed iterum, & saepius eosdem Canones inculcaret. Hæc mihi tunc in mentem veniebant, & modo veniunt, quæ plurimum videntur obstat. Sed non deerant ipsi tunc, nec modo desunt argumenta, quibus contraria opinio confirmatur, quæ tantum apud me pondus habuerunt, ut manus tandem dederim, libenterque de sententia priore decesserim. Sed antequam longius progrediar, ut appareat, quid hoc loco potissimum veniat in controversiam, illud tibi Cardinalis amplissime affirmo, nullum in hac collectione titulum integrum repeti, immo si aliquando idem titulus ad duos libros pertinet, in priore canones omnes collocantur, in altero vero tantum ejusdem tituli sit mentio. Illud itaque vocatur in disceptationem; Num cum iidem canones, variis, & diversis titulis convenient, expediatur eos in uno tantum, an vero satius sit eosdem in omnibus titulis adscribere. Proposui jam in medium supra rationes, quibus constat hanc repetitionem vitandam esse: reliquum est, ut eas proferam, quibus contraria pars confirmatur.

Primum enim, cum hæc collectio in multis libros sit distributa, ita Antonius Augustinus illos edere volebat, ut alii aliorum adminiculo non egerent, sed singuli in omnia, quæ ad illud hominum, aut rerum genus pertineret, complecterentur. Deinde licet hæc repetitio fortasse aliquibus fastidium afferat, tamen, si res attente perpenditur, longe, multumque superat hanc satietatem utilitas, quam alii ex eadem percipient: Si enim omnia, quæ spectant ad aliquem titulum statim, & sine ulla mora inspici possunt, nescio, cur quispiam velit ipsa decreta ex aliis locis magno labore querere, & graviter ferat eadem simul omnia puncto temporis sibi ante oculos proponi. Præterea cum multi homines tot, tantisque occupationibus distineantur, ut vix ullum tempus vacuum habeant, alii autem inertes sint, & desidiosi, nullumque laborem in litterarum studia insumere velint, certe his omnibus utilissimum erit ea omnia simul invenire, quæ si longe lateque dispersa essent, aut contemnerent, aut negotiis impediti in aliud tempus reservarent. Immo & illis, qui in otio sunt, & his studiis delectantur, utilius est titulum integrum intueri propter multas causas, quas silentio prætereo, & licet alia nulla subfit caufsa, ne in evolvendis libris operam per-

dant, frustraque faciant temporis jacturam. Præterea si hæc epitome legeretur eo ordine, quo scripta est, ut alii libri legi solent, certe tunc molesta esset hæc repetitio; at vero, cum certum sit, viros doctos, qui ad collectiones decretorum se applicare solent, totos se ad eam tantum partem conferre, quæ tunc sibi necessaria est, sane non video, cur ipsi eam integrum esse ægre ferant, cum eam integrum esse illis maxime conducat. His accedit alia ratio, quam firmissimam semper putavi: Si enim canones, qui repetuntur, in uno, & eodem titulo omnes essent, fortasse supervacanea esset hæc repetitio, at vero sunt dispersi, & variis libris adjuncti, nemoque potest illos reperire, quin magnam molestiam capiat, magnamque hujus collectionis partem evolvat. Ut si quis querat de adulterio, oportebit alia decreta ex libro de pœnitentia, alia ex libro de excommunicatione, alia ex libro de depositione, alia ex aliis locis depromere, frustraque in his libris evolvendis tempus consumere, quæ modo conjuncta, & methodo quadam, & ordine in libro de criminibus sit, de adulterio continentur. Ad extremum ipse Ant. Augustinus hanc methodum secutus est, a qua si discedimus, non solum in his libris, quos ipse inchoatos, & imperfectos reliquit, sed in illis duodecim, qui jam perfecti & suis numeris absoluti in vulgus emanarunt, multa erunt delenda, multa necessario resescanda. Alia permulta ad hanc sententiam confirmandam adducere poteram, sed ne tibi, Cardinalis amplissime, amplius sim impedimento, silentio modo prætermitto. Illud extremo loco tantum addam, me his argumentis convictum in hanc posteriorem sententiam inclinare, quam tamen ita amplector, ut longe, quam tu probaveris, etiamsi contraria sit, anteponam.

CUM multæ collectiones extant Juri Pontificii veteris, timeo ne fortasse hæc, quam in manibus habeo, aliquibus supervacanea videatur. Quamquam autem addunt mihi animos multi viri ingenio, & conditione præstantes, qui eam videntur comprobare; tamen cum variae sint hominum opiniones, & sententiæ, suspicor multos non defuturos, qui eam improbent, & reprehendant.

Quoniam autem video multa obiici posse, proponam ea argumenta, quæ similiora sunt, breviterque respondebo, & meam sententiam explicabo.

Primum illud opponi potest jam esse, ut antea dixi, alias collectiones. Video hoc ita esse, sed in hac, quod fortasse in aliis desideratur, illud maximi videretur momenti, quod omnes disputationes præcipuae ita sunt inter se conjunctæ, ut facile cuique sit, quidquid antiqui canones de quacumque re statuerunt, statim cognoscere. Sumamus enim Burchardum, aut Iwonem, imo sumamus in manus Gratianum, quæram utique quid ipse afferat de Episcopis & de munere ipsorum, quid de Conciliis, quid de Sacramentis, quid de aliis rebus magni ponderis, & momenti, certe pace ejus, quem magni facio, dixerim, ea omnia dispersa, & dissipata partim in hoc, partim in illo loco continentur: At vero in hac collectione nulla est disputatio paulo illustrior, quæ non integra commodo loco reperiatur, & quicquid ad eam in jure veteri pertinet, non sit simul conjunctum. Itaque in omnia, quæ apud Gratianum magno studio, & temporis spatio, ope, & auxilio glossarum vix reperiuntur, in hac collectione sine ullo labore, & molestia conjuncta statim occurunt, quod facile quivis experire potest. Præterea illud fortasse obiicietur, hanc collectionem Juri Canonici plurimum ab aliis dissidere, titulosque ipsos esse insolitos, & inauditos, & hoc item verum est, cum enim ordo admodum dissimilis sit, oportet ipsam item dissimilem esse, & alios titulos habere: Imo si non ab aliis dissideret, inutilis esset, cum enim, ut dictum est, multæ sint juris veteris collectiones, si hæc aliis similis esset, vix utilitatem ullam afferre posset.

Deinde illud nonnullis est molestum, quod repetuntur sæpe canones in hac collectione. Fateor rem ita se habere, extatque de hac re observatio longa, in qua ratio redditur, multaque afferuntur, sed quia modo illam ostendere non possum, illud tantum proferam omnes disputationes graviores in hac collectione ita proponi, ac si una non penderet ex alia, ideoque necessariam esse hanc canonum repetitionem (a). At

(a) Vide supra pag. 537. & 538.

vero illud tantum ex hac repetitione sequitur detrimentum, quod collectio longior erit: sed certe hoc incommodum, si res diligenter perpenditur, multis utilitatibus compensatur. Primum enim omnia in promptu sunt, & non est necesse, quod multis laboriosum est, & difficile canones in alio, & in alio loco investigare. Deinde melius intelliguntur cum simul sint, & inter se facile conferri possunt.

Item ordo in aliquibus libris minus fortasse probatur, putantque aliqui alios titulos utiliores excogitari potuisse. In hac re sane maxima diligentia adhibita fuit, hoc enim in collectionibus caput est, ut canones sint optimo ordine distributi. Sed est animadvertisendum aliud esse rationes, & argumenta, & aliud canones disponere, cum enim quis suo ingenio utitur, & rationes tantum assert, potest eum ordinem tenere, quem existimat optimum esse: At vero cum canones in titulos coniicit, aliquando hujusmodi sunt, ut non valeat ipse sequi ordinem illum, quem videt accommodatum esse, sed alium quem ipsi canones postulare videntur. Memini me in libro de ordinibus admonitum fuisse, ut de materia, & de forma titulos conficerem, & certe optimum erat consilium, sequutusque fueram eum ordinem in aliis libris de sacramentis; sed in libro de ordinibus, aut de matrimonio non possunt hi tituli collocari, quia non sunt canones de hac re in jure antiquo. Quare nihil est, quod quispiam putet disputationem aliquam mutilam, & mancam esse, quia deest hic, aut ille titulus; aliquando enim res ipsa non patitur, ut illi tituli adhibeantur.


Hæ sunt rationes, quæ videntur præcipue obstat, & obici posse: nescio, an illas satis refutaverim.

Præter hæc argumenta, illud mihi in hac collectione negotium facit (a) num expediatur, hanc collectionem in lucem proferri, cum canones illi veteres magna ex parte sint jam abrogati, & jure novo constet, quid oporteat observari. Poteram certe hoc loco multa de horum decretorum utilitate proferre, sed iis omissis, illud tantum dico, non hos canones modo in lucem proferri, sunt enim apud Gratianum, & apud alios decretorum collectores, & si aliqui apud hos non sunt, in conciliorum voluminibus, & in aliis libris vulgo circumferuntur. Itaque non prodeunt modo de novo in lucem, sed cum jam fuerint editi, data fuit opera, ut decreta omnia, quæ ad singula Personarum, aut rerum genera pertinent, facile reperirentur.

Secundum Caput necessarias esse observationes, ut omnes intelligent, quæ de creta sint abrogata, & quæ adhuc observari debeant. Certe cum hæc collectio præcipue ad homines doctos pertineat, non videntur admodum necessariae: jam enim hiscunt, quid sit abrogatum, & quid habeat vim. Deinde tam perspicuum est aliquando hos, aut illos canones esse abrogatos, ut supervacaneum sit id observare. Nihilominus ubi videbuntur necessariae observationes, facile erit illas adjungere (b).

(a) Nonnulla bis interserit Aduarotes, quæ nos consulto pretermisimus, quod ea non admodum ad propositum facere vise sunt.

(b) Pausa item hic, sapius ab Aduarte relata,mittenda duximus.



FRANCISCI ADUARTIS

IN JURIS PONTIFICII VETERIS EPITOMEN

NOTATIONES.

*In Partis I. Libri VI. Titulum LXIV. &
Lib. VII. Titulum XXXII.*



Imo ne quisquam moleste ferat, Episcopos in hac collectione Cardinalibus anteponi, tantumque de Cardinalibus in libro de presbyteris, & de diaconis mentionem fieri, cum tamen hac nostra ætate amplissimum dignitatis gradum teinant, honoreque, & auctoritate, variisque ornamenti generibus non solum Episcopis, & aliis Prælatis minoribus, verum etiam longe Patriarchis, & Primatibus antecellant. Sed oportet animadvertere hanc collectionem esse juris Pontificii veteris, nullumque in ea decretum continere, quod recentius sit Pontificatu Innocentii III. at vero olim licet plurimum Cardinales auctoritate valerent, magnaque esset illorum dignitas, & amplitudo, tamen sine dubio in conciliis, & in aliis locis priores partes Episcopi obtinebant. Patet hoc ex Conciliis antiquis, estque tam certum, ut supervacaneum putem de hac re plura commemorare. Itaque non negamus, magnum semper fuisse habitum honorem presbyteris, & diaconis Romanis, etiam primis illis temporibus, antequam appellarentur Cardinales; at vero non statim ab initio, sed multis post annis ad hanc summam amplitudinem, in qua nunc sunt, paulatim (ut mox dicemus) tamquam per quoddam gradus ascenderunt. Erant igitur a principio presbyteri, & diaconi loco, & dignitate inferiores; nihilominus tunc etiam summi Pontifices magni illos faciebant, illorumque opera in negotiis arduis plurimum utebantur, eosque plerumque in consilium adhibebant. Illud enim erat tunc in more politum, ut cum res gravissimæ occurrerent, concilium cogeretur, Episcopique finitimi vocatu Pontificis Max. accederent; at vero, cum erant leviores, aut moram non patiebantur, aut difficile erat Episcopos convenire, convocabantur presbyteri, & diaconi, appellabaturque congregatio illa presbyterium, ut constat ex epistola D. Cornelii ad D. Cyprianum, cuius inquit est: *Quantam sollicitudinem: quæ inter epistolæ ejusdem Cypriani circumfertur. In hac igitur epistola scribit Cornelius, cum negotium quoddam magnum occurrisset, se presbyterium congregasse, hoc est presbyteros Romanos, ut eorum concilio uteretur. Hæc autem sunt Cornelii verba: Omni actu ad me perlato placuit contrahiri presbyterium. Affuerunt etiam Episcopi qui-*

que, qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato concilio, quid circa personas eorum observari deberet consensu omnium statueretur, & ut votum omnium, & concilium dinosceres, etiam sententias nostras placuit in noticias vestras perferrri, quos & subjectas leges. His ita gestis in presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & plerique fratres, qui eis se adjungerunt, summis precibus desiderantes, ut ea, quæ ante fuerant gesta in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur. Hæc Cornelius. Idem etiam patet ex epistola Sincii ad Ecclesiam Mediolanensem, in qua se item contra Jovinianum hæreticum, ejusque socios, presbyterium dicit congregasse, summoque omnium consensu hæreticos illos e numero piorum ejectos fuisse. Licet autem aliquando interessent presbyterio aliqui Episcopi, a majore tamen presbyterorum numero adhuc presbyterium dicebatur, ut appareat ex eadem epistola Cornelii, qui licet quinque Episcopi convenisse affirmet, adhuc congregationem illam appellat presbyterium. Præterea etiam primis illis temporibus magna in conciliis Romanis, quibus ipsime Pontifices Maximi præerant, illorum erat auctoritas, multumque presbyteri, & diaconi Romani reliquos omnes presbyteros, & diaconos dignitate superabant. Itaque cum in aliis conciliis antiquis, quibus Archiepiscopi præerant, aut Patriarchæ, neque proferantur nomina presbyterorum, neque extet subscriptio eorum, tantumque illi nominentur, & subscribant, qui erant legati absentium Episcoporum, in synodis Romanis contra & scribuntur saepe nomina presbyterorum, & extant item eorumdem subscriptiones, ut constat ex variis conciliis, quæ enumerare longum esset, & in primis ex Concilio Romano sub D. Gregorio, in quo post Episcopos statim xxxv. presbyteri subscribunt. Solebant item Pontifices illos ad varias provincias de rebus gravissimis Legatos mittere: immo & ad concilia generalia, quibus nomine Pontificis saepe praefuerunt. Possimus id probare ex concilio Nicæno ad quod missi sunt a Silvestro Vito, & Vincentius presbyteri Romani: & ex synodo Ephesina, in qua cum Archadio, & Proculo Episcopis Philippus presbyter nomine Cælestini Romani Pontificis interfuit: item ex Chalcedonensi, in qua Paschalino, & Lucentio Episcopis Leonis Pontificis Maximi Legatis Bonifacius presbyter tertius adjunctus est. Immo peraucæ extant synodi, in quibus unus saltem ex legatis non sit presbyter, aut diaconus, imo aliquando solis presbyteris, & diaconis mandatum fuit

fuit hoc munus a summo Pontifice, ut appareat ex Synodo VI. generali, ad quam Agathonis jussu Theodorus, & Georgius presbyteri, & Joannes Diaconus legati missi sunt. Itaque illud certum est, etiam vetustis illis temporibus, presbyterorum, & diaconorum ordinem Romæ in honore magno fuisse. Sed postea (ut dictum est) ad multo majorem concendit. Cum enim in electione Pontificis Maximi magna sæpe Romæ essent dissidia, civitasque ipsa in contrarias partes distraheretur, & quod indignissimum erat, schismata aliquando existerent, quæ Ecclesiarum summum detrimentum afferebant, immutata est omnino forma electionis, solisque Cardinalibus ab Innocentio II. jus eligendi mandatum fuit. Cum autem Cardinalium Collegium hoc amplissimo honore auctum esset, & propter hanc causam Viri clarissimi, & sapientissimi tunc in primis cooptarentur, Pontifices Maximi, deinceps, qui videbant se horum tantum eximia prudentia, & consilio Ecclesiam administrare, officiumque suum cumulate praestare posse, noluerunt jam ab illo tempore Episcopos a suis Ecclesiis abducere, præter quam res occurserent gravissimæ, & quæ ad Ecclesiarum dignitatem maxime pertinerent. Ex quo illud effectum est, ut cum antea frequentissima essent concilia, quotannisque quorundam Pontificum ætate (ut constat ex Registro Joannis VIII. & Gregorii VII.) haberi solet, post eundem Innocentium II. multo pauciora fuerint concilia, & tandem hæc consuetudo congregandi synodos Romanas, exceptis generalibus, paulatim penitus obsolverit. Itaque in locum veterum synodorum, hæc consistoria, quæ nunc vigent, videntur successisse, quæ res sine dubio ipsi Cardinalium collegio novum, eximumque attulit splendorem. Quantum autem conjectura assequi potum, ut earumdem synodorum hæc consistoria imaginem quamdam, & similitudinem haberent, voluerunt Summi Pontifices, ut præter presbyteros, & diaconos, sex adessent Cardinales Episcopi, (qui cum dioceses habent finitimas, etiam si Romæ essent, commode propter Ecclesiarum vicinitatem illas administrare possent) ut major auctoritas decretis ipsius senatus esset, cum tot Episcoporum consensu firmaretur. Si enim constitutiones Conciliorum provincialium, quæ nonnumquam tantum quatuor, aut quinque Episcoporum sunt auctoritate comprobatae, merito magni æstimamus, quanti erunt æstimanda hujus clarissimi Senatus de creta, cui ipsemet Pontifex Maximus præst, sexque Episcopi, totque alii presbyteri, & diaconi Cardinales interesse solent? Cum igitur jam (ut ad propositum redeamus) ad hanc amplitudinem Cardinales pervenissent, ut & deligerent Pontificem, & eum, magna ex parte, ex suo collegio designarent: præterea ut ejusdem essent consiliarii, in rebusque gravissimis administrari, & adjutores, ex ipsiusque latere ad Reges potentissimos publicæ utilitatis caussa særissime proficerentur, Pontificisque mandata perferrent, consentaneum sane fuit, ut qui Pontificem Maximum diligunt, & qui conciliorum omnium so-

cietate, totque aliis vinculis cum Pontifice Max. erant coniuncti, nequaquam ab ipsius latere discederent, sed in conciliis, & in omnibus aliis locis proximi essent eidem Pontifici. Quare in Concilio Lugdunensi sub Innocentio IV. primus locus illis merito datus est, aliaque honoris insignia partim in ea synodo, partim postea sunt concessa. Cum igitur hæc collectio, quæ nunc in lucem prodit, ad eam usque ætatem non perveniat, mirum non est, si in eo loco Cardinales collocantur, qui, ut patet ex his, quæ dicta sunt, eisdem sine dubio priscis illis temporibus debebantur. Hanc igitur ob causam, ut omnia paucis complectar, in hac collectione prius de Episcopis, quam de Cardinalibus sit mentio, reponunturque canones, qui ad ipsos Cardinales pertinent, in libro de presbyteris, & in libro de diaconis, ita tamen reponuntur, ut ipsi Cardinales ab aliis presbyteris, atque diaconis tamquam digniores separantur.

In Partis I. Librum IX.

CUM videam hac nostra ætate religiosorum familias non solum contumeliis ab hereticis vexari, verum etiam a multis catholicis fere contemni, & pro nihilo duci, decrevi, cum in hunc librum de Monachis inciderim, accuratius de illis, quam de aliis personarum generibus disputare. Cum enim in hoc libro tot extent de monachis conciliarum, & Pontificum maximorum de creta, cum viri religiosi tantæ curæ sint Ecclesiarum, ut in illorum moribus confirmandis, ipsique Monachis ad majorum normam, vetustamque disciplinam instituendis, tum in conciliis antiquis, tum hac nostra ætate in Tridentino magnopere Patres elaboraverint, opere pretium erit modo diligentius, quam haec tenus feci, de illis differere, ne in colligendis synodorum, & Pontificum decretis, quæ in hoc libro continentur, cuiam fortasse operam frustra consumpsisse videamur. Neque vero quisquam mihi obijciat illorum vitia, qui ab instituto vitae cursu discedunt; cum enim de aliqua re disputatio suscipitur, ut ejus vis, & natura intelligatur, oportet detractis vi tis illius perfectam, & expletam formam considerare.

De origine & primo Monachorum initio multa occurunt, & ut omittamus eos, qui a Joanne Baptista, immo ab Helia, & Helia alterunt emanasse, sane Callianus, qui suis libris Monachorum instituta complexus est, ab Apostolis existimat profluxisse; induitque Piamonem (a) Abbatem de hac re copiose disputantem, possumus que hanc sententiam D. Dionysii auctoritate confirmare, qui ita de Monachis (b) loquitur, ac si priscis illis temporibus Monachorum ordo in Ecclesia floruisse. Eadem sententia favere videtur Philo Judæus, qui ut est apud D. Hieronymum (c) formam vivendi, qua utebantur discipuli D. Marci, & alii Christiani ætate Apostolorum, tam descriptis, qualis Monachi sequi solent. Eisdem item Apostolis nonnulli Canonici sui instituti initium acceptum referunt, a quibus, & a D. Marco, qui primus Ecclesiarum Alexandrinæ præfuit, eamque optimis institutis, & legibus tem-

(a) Col.
lat. 18. c. 5.

(b) Lib.
de Ecclesiast. hierarch.

(c) De
Script. Eccles.

temperavit, se eam vitæ normam accepisse gloriantur. Cum enim hanc Apostolorum disciplinam jam paulatim labentem, & prope cadentem

(a) *Vid.*
D. Aug. in
serm. de vi-
sa, & morib.
etor. & syn.
Aquisigr. c.
112. & 113.

D. Augustinus (a) in suam pristinam dignitatem restituisset, suoque, & suorum discipulorum exemplo confirmasset, ab ipso ad multas Europæ Ecclesiæ dimanavit, tam lateque diffusa est, ut omnes fere illustiores Ecclesiæ idem vivendi genus completerentur, ut constat ex D. Gregorio

(b) *Ad*
Augst. in
glor. Episc.
cap. 1. &
2.

(b) ex Nicolao (c) H. & ex aliis, quæ tandem formam per manus ad nostram usque ætatem per-

(c) *In*
fyn. Rom.
cap. 4.

venit. Novi annis superioribus exortam fuisse in-

ter canonicos, & monachos Benedictinos de anti-
quitate controversiam, cuius constituendæ caus-
fa scio multa de hac re fuisse in medium prolatæ,
quæ quoniam omnibus sunt in promptu eorum
commemoratione supersedeo. Sed omissis Cano-
nicis, ad Monachos jam redeo, quos et si demus
Cassiano, ab Apostolis initium duxisse, tamen
D. Antonii ætate in monastica disciplina viguit,
ut inde in primis principium duxisse videantur.
Primus enim Paulus Thebæus se in desertum
quemdam locum recepit, in eoque vitam multos
annos egit. Deinde Antonius in Ægypto, & pau-
lo post Hilarion in Syria idem vivendi genus com-
plexi sunt, ad quos cum multi discipuli se adjun-
gerent, & deinceps alii, atque alii eundem vitæ
cursum tenerent, tanta brevi temporis spatio mo-
nachorum extitit multitudo, ut Ægypti, & Sy-
riæ solitudines vix jam solitudines essent; & spe-
luncæ, quæ tantum antea serpentibus, & feris
patebant, essent tunc sanctorum hominum domi-
cilia. Cum enim multa in Urbibus homines ipsos
a rebus cœlestibus avocare soleant, nullumque
fretum tor motus, tantasque, & tam varias ha-
beat agitationes, quantas perturbationes, &
quantos astus habet humana vita, se totos a Ci-
vitatibus, & a rei familiaris cura ad solitudinem
alacres, & lati tamquam ad tutum, & tranquil-
lum portum conferebant, resque omnes fere hu-
manas despicientes, in divinis tantum, quasi vi-
tae suæ tabernaculum collocabant, illarumque
tantum, & amore flagrabant, & meditatione
pascebantur. Et quoniam nostrarum cupiditatum
undæ, ut mare profundum sic effervescunt, tur-
bidique animorum motus quasi procellæ fœvissi-
mæ etiam eos qui in portu videntur esse persæpe
procul a terra abripunt, & obruuntur: ita hi ho-
mines sapientissimi se instruebant, ut solitudinem,
& silentium velut firmissimas quasdam mo-
les fluctibus obicientes magna ex parte adi-
tum tempestatibus intercluderent. Quamvis au-
tem a principio tanto solitudinis studio tene-
rentur, ut omnium fere hominum conspectum
superent, tamen cum oculis pene cernerent ejus-
modi vitam maximis periculis expositam esse,
si absque duce, & magistro illi se dederent, ædi-
ficarunt viri illi præstansissimi cœnobia, varia-
que leges tulerunt, quibus illa Religiosorum res-
publica temperaretur. Extant hodie Basili Magni, extant Pachomii, extant aliorum institu-
tiones, quibus magna ex parte Mosachi olim ute-
bantur. Extant Cassiani libri, quibus consuetu-

dines, & ritus Ægyptiorum, quos præter cæteros
hæc vita solitaria delectavit, copiosissime perse-
quitur. Ex eo tempore duæ religiosorum familias
exortæ sunt, altera eorum, qui vitam solitariam
agebant, altera eorum, qui in cœnobiosis com-
morabantur, quos Præfecti, sive Abbates in offi-
cio continebant, erantque illis vitæ duces, & si
aliqua forisæ perturbatione commovebantur,
suis monitis, & consiliis illam depellere, animis-
que ægris conabantur afferre medicinam, omnia-
que necessaria ad vitam tuendam suppeditabant.

Ex his initis exortæ hæc dua Monachorum fa-
miliæ tam longe lateque diffusæ sunt, ut quæ a
principio exiguis finibus continebantur, paulo
post in magnam Asiarum partem, ex eaque in Ita-
liam, Galliam, aliasque Europæ Provincias
paucis post annis permanaverint. Quamvis au-
tem in Europa ætate D. Hieronymi mentio sit
Monachorum, constetque nonnullos in solitudi-
ne, & alios in cœnobiosis vixisse, certumque sit
(d) duo cœnobia a Cassiano fuisse ædificata, at
vero D. Benedictus monasticam disciplinam
tunc fere incipientem, ita sua virtute, suisque
legibus, & institutis aluit, & confirmavit, ut
quæ antea obscura erat, & in tenebris jacebat,
quasi sol quidam omnes eas regiones, quæ ad
solis occasum spectant, & in primis Italiam, &
Galliam clarissima quadam luce compleverit.
Tunc itaque monasticus ordo tam altas radices
egit, ut paucis post annis multos ramos produxe-
rit, qui omnes ab eodem trunco, nempe a viro
sanctissimo Benedicto di manarunt. Ab hoc Clu-
niacenses, & Cistercienses, ab hoc Carthusiani,
& alias religiosorum familiæ profluerunt. Ab hoc
tot Pontifices Romani, tot viri doctrina, & vir-
tute præstantes extiterunt, ut sicuti cælum stel-
lis, ita Ecclesia sancta eximio illorum splendore
decoretur. Fuit itaque, ut omnia in pauca confe-
ram, monachorum princeps in Asia, & Africa
Antonius, in Europa Benedictus. Cumque duo
sint, ut jam ostendi, monachorum genera, alii
omnino solitarii, qui Anachoretæ vocantur, alii
vero qui in cœnobiosis degunt. Priors illi pluri-
mum in Asia viguerunt, estque magna apud au-
tores antiquos illorum mentio, ut appareat ex
Hieronymo, Cassiano, Theodoreto, Palladio,
& ex aliis scriptoribus latinis, & græcis, qui
multa de his Anachoretis, sive solitariis monachis
memoriae prodiderunt. In Europa vero et si non-
nulli in solitudinem se receperunt, multo tamen
pauciores hanc vivendi rationem amplexi sunt.
Quamvis autem apud Ægyptios a principio mul-
ti monasticae vitæ ignari, solitariam illam viven-
di rationem ingredierentur, tamen cum postea Pa-
tres illi, ut antea dicebam, Anachoretarum peri-
cula cogitatione percurrent, eos tantum in soli-
tudinem se abdere passi sunt, qui prius in cœno-
biis vitam egissent, neque his omnibus, sed illis
tantum, qui magnos in virtute progressus fecis-
sent, magnumque modestiæ, & temperantiæ spe-
cimen dedissent, solitudinem patere voluerunt.
Constat hoc ex Cassiano (e) multis in locis, &
ne fastidium afferam, illud tantum (f) quod in li-
bris de capitalibus vitiis scribit in medium pro-
po.

(d) Gen-
nad. in catal.
illust. vir.
Tritem.

(e) Col.
let. 18. c. 4.
5. 6. collato.
19. c. 3.
(f) Lib. 5.
sive de spiri-
tu gaff. marg.
cap. 36.

ponam: Itaque cum de Palestina monasteriis ad oppidum, quod Diolcos appellatur, rudes adhuc venissimus, ibique plurimam turbam cœnobii disciplina constrictam, & optimo ordine monachorum, qui etiam primus est, institutum mirifice wideremus, alium quoque ordinem, qui excellentior habetur, id est Anachoretarum, cunctorum præconiis instigati, sagacissima corde videre properavimus. Hi namque in cœnobiis primum diutissime commorantes, omni patientia, ac discretionis regula diligenter edocti, & humilitatis pariter, ac nuditatis virtute posseffa, atque ad purum vitiorum universitate consumpta, dirissimis præliis congressuri, penetrante eremii profunda secreta: Hæc Cassianus.

Neque solum hic usus in Asia, sed item in Europa viguit, ut appareat ex concilio Agathensi

(a) c. 38. (a) & Venetico (b), & Tolentino VIII. (c) & vi-

(b) c. 5. detur significare D. Hieronymus in epistola ad

(c) c. 5. Rusticum monachum, cujus hæc sunt verba:

De nido monasteriorum ejusmodi volumus egredi milites quos eremirudimenta dura non terreat. Hæc Hieronymus. Ex his patet, ut eos monachos, qui in cœnobiis degunt, omittamus, duo esse Anachoretarum genera; aliqui enim posteaquam in cœnobio commorati sunt, & voto religionis se obstrinxerunt, Abbatis iussu se in solitudinem conferunt, & hi vere, & proprii religiosi sunt, magnusque fuit olim eorum numerus, non solum in Asia, & in Africa, verum etiam in Europa, ut patet ex his, quæ diximus, & ex decreto Bonifacii VIII. in c. *Privilegiis*, de verb. signif. lib. 6. Viguitque etiam hæc consuetudo apud ipsos religiosos, qui proprie Mendicantes vocantur, ut appareat ex eodem Bonifacio cap. 1. de excessi. Prælat. in 6. qui cum prohibeat mendicantes nova monasteria injussu Iedis Apostolicæ ædificari, statim eos excipit, qui vitam solitariam agunt, ait enim: *Per hoc tamen eis, qui vitam duxerint eremiticam, seu solitariam eligendam de majorum suorum licentia, quia cellas, mansiones, seu habitacula in eremis, sive locis, ubi non sit hominum habitatatio, de propinquuo possint acquirere, ac mutare non intelligimus interdictum.* Itaque licet hac ætate raro monachorum præfetti faciant hanc potestatem, olim tamen, ut constat ex iis, quæ diximus, saepe eam facere solebant; sunt præterea alii Anachoretæ, quorum magnus numerus est in nonnullis provinciis, qui neque in cœnobii umquam vitam egerunt, neque ullo religionis vinculo tenentur astricti, sed ipsi, dummodo Episcopus faciat potestatem, in solitudine tandem degunt, quamdiu volunt liberumque illis semper est inde discedere, & in aliud locum convolare. Hi autem cum neque obedientiae, neque paupertatis voto sint devicti, cumque omnia, quæ habent, tamquam propriæ possideant, nescio quoniam modo religiosi possint appellari.

His monachorum generibus, de quibus haecenus verba feci, accesserunt postea mendicantes, quorum operam perutiliem esse Ecclesiæ, nullus catholicus dubitat. Cum enim solitarii omnes, tam Anachoretæ, quam alii, qui in cœnobii vi-

tam agunt, tantum in rerum divinarum contemplatione versentur, & a negotiis aliis, licet ea gravissima sunt, magna ex parte animos alienos habeant, oportuit certe alias esse religiosorum familias, quæ non solum ad Deum Optimum Max. mentes appellerent, verum etiam easdem propter Deum ad Christianorum salutem referrent. Cum enim omnes religiosi ad charitatis perfectionem aspirent, consentaneum sane est, cum charitas ipsa, quam sibi ante oculos proponunt, non solum in Deum suo pondere feratur, verum etiam ad homines amandos alliciat, aliquos esse, qui ita se ad Deum conferant, ut etiam ipius Dei causa aliorum hominum commodis interficiant. Exortæ sunt igitur Mendicantium, exortæ sunt aliorum religiosorum familiarum, ut sua varietate majorem Ecclesiæ utilitatem afferrent, & si quid in una desideraretur, id in alia continuo reperiiri posset, & ex omnibus simul, quasi ex membris corpus quoddam religiosæ vitae integrum, perfectumque omni ex parte constaret. Ex duobus igitur charitatis præceptis tria religiosorum genera dimanarunt, quæ totam hanc, quam cernimus, religiosorum varietatem complectuntur. Nam aut sunt ad Deum Opt. Max. contemplandum destinati, ut Benedictini, & Cistercienses, aut aliorum hominum utilitati propisciunt, ut milites, qui in D. Joannis religionem coaptantur, & aliqui religiosi, qui in nosocomiis suam operam pauperibus ægrotis navant, aut utrumque simul munus complectuntur, ut Mendicantes, qui partim in hymnis, & divinis laudibus, partim in curandis non corporibus, sed animis hominum ægris, in habendis concionibus, in excipiendis confessionibus, & in aliis ejusmodi exercitationibus ætatem consumunt. Itaque quemadmodum stellæ omnes, licet lumen accipiunt ab eodem sole, omnesque pulcherrimæ sint, & suo splendore cælum illustrent, non tamen omnes eodem modo lucent, neque omnes habent eamdem vim, neque eamdem naturam; eodem modo religiosorum familiarum, licet omnes in ipsum Deum referantur, omnesque suo decore Ecclesiæ exornant, non tamen omnes eadem habent ornamenta, neque enim eadem instituta sequuntur, neque in iisdem studiis operam ponunt, sed est magna illorum varietas, suaque varietate multo majorem Ecclesiæ utilitatem important, quam si una sola, aut paucissimæ tantum essent. Alii enim preces adhibent, & populi christiani negotia Deo commendant. Alii suo exemplo homines ad virtutem impellant. Alii suis cohortationibus a vitiis abducunt. Alii in studiis literarum incumbunt, eaque in re publicæ christianæ utilitatem conferunt. Alii libros scribunt, ut ex illis etiam absentes fructum percipere possint. Alii cum hereticis pugnant, eosque convincere, & ad religionem catholicam revocare conantur. Ego sane miror eos, qui in Religiosos invehantur, & quoniam aliqui sunt ignavi, & desidiosi, Monachos omnes Reipublicæ Christianæ inutiles putant, cum certum sit tot viros eruditione, & rerum gestarum gloria floruisse, ut vix ex ullo hominum genere ubiores umquam fructus

Ec-

Ecclesiæ collegere. Possem id ego plurimis summorum hominum exemplis confirmare. Possem multos antiquos Patres ut Basiliūm, Gregorium Nazianenūm, Gregorium Magnum: possem multos recentiores, ut D. Thomam, D. Bonaventuram percensere, qui tantum rerum divinarum cognitione, tantum vita sanctitate præstiterunt, ut vera magis excelluerint, difficile sit judicare: possem illorum libros enumerare, quibus non solum Ecclesiæ olim profuerunt, sed etiam hisce nostris temporibus prosunt: possem illorum illustria, & gloria facta in medium adducere, veterum monumentis consignata, quæ nobilissimorum omnium ducum victorias, optimum Romanorum triumphos, omnium Graecorum trophya ita suo lumine obscurant, ut quemadmodum stella in radio solis, sic omnia veterum Imperatorum præclara facinora in horum splendore vix sane cernantur. Sed quia hæc non sunt hujus loci, me jam ad meum munus, a quo paulum digressus sum, ad meumque pensum revocabo. Et quoniam de religionum varietate loquemur, timeo, ne quispiam mibi obiciat nonnulla Conciliorum decreta, quæ religionum multitudinem videntur improbare, & ut cætera omittam, quæ longum esset commemorare, certe Concilium Lateranense (a) magnum Innocentio III. Pont. Max. habitum, ab hoc magno religionum numero videtur abhorrire, cuius verba hæc sunt: *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusione inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* In eadem est sententia synodus generalis

(a) D. re
lig. domib.
cap. ult.

Lugdunensis (b), quæ sententiam Lateranensis laudat, & confirmat; sed sane si hæc Concilia perpendantur, non pugnant, imo his, quæ dicta sunt, valde consentiunt, tantum enim abest, ut varietatem religionum Synodus Lugdunensis (c) reprehendat, ut quatuor mendicantium ordines ibidem confirmat. Non itaque vituperant ipsa concilia varietatem, sed vituperant nimiam varietatem; non dicunt tantum: *Ne diversitas, sed addunt, ne nimia diversitas confusione inducat.* Ego sane omnes Religiosorum familias Pontificis Max. auctoritate roboratus veneror, ut par est, & magni facio, novi uberrimos fructus ex illis ad Ecclesiam pervenisse. Scio non solum eas, quæ antiquiores sunt, verum etiam recentiores tantam operam in agro Christi colendo posuisse, ut licet pater familias his, qui novissima hora venerunt, parem mercedem reddat, nemo sane de illo juste conqueri possit. Video denique singulas religiosorum familias, velut gemmas pulcherrimas ita collucere, ut qualibet una re aliqua in primis excellat. Itaque si eas sigillatim contemplor omnes maxime necessarias judico: at vero si in omnes simul oculos coniicio, timeo ne quispiam confusionem illam, quam concilia tanto ante præsentiebant, jam fere imminere putet. Ego certe omnes a principio gravissimas ob causas suis initutas credo, sed modo res nostra ad eum statum pervenerant, ut periculum sit, ne tot

(b) o.ult.
de relig. do-
mib. in 6.

(c) d. e.
ult.

religiosorum ordines ipsimet religionū splendori tenebras afferre videantur. Si enim tot homines ad monasticam disciplinam apti se ad religiones conferrent, ut nullus locus vacuus esset, certe oporteret omnes conservari, sed si tempora ejusmodi sunt, ut non monasteria hominibus, sed homines monasteriis desint, & hac de causa cœnobia, quæ tantum hominibus huic vita generi idoneis patere debeant, nonnumquam his patere soleant, qui dedecori sunt religiosi, equidem nescio, an hæc tanta ordinum multitudo sit necessaria. Deinde cum sæpe contingat, ut qui virtute, & eruditio præstant, certas aliquas religiones præter cæteras amplectantur, ad easque magna ex parte cum hanc viam ingrediuntur, convolare soleant, certe necesse erit, ut alii religiosorum ordines, ne domos vacreas habeant, si non multos, saltem nonnullos ignavos, & ad onera religionis sustinenda impares nonnumquam excipiant, immo fortasse, quod indignissimum est, ut aliquando rogent, & blandiciis pellificant. Præterea periculum est, ne præfecti ob eandem causam, vix eorum, qui in suam religionem ascribi volunt, mores audient experiri, immo periculum est, ne licet experiantur, & suo instituto parum idoneos videant, tamen eos, si ingenio, & eruditio valent, non solum non eiificant, verum etiam discedere volentes, retineant, & ad perseverandum hortentur. Denique ut omnia in pauca conferam, ex hac religionum multitudine sequitur, ut multo plures sint monachi, quam ipsarum religionum dignitas videatur postulare. Quare quemadmodum cum corpus humanum sanguine redundat, solet sanguis emititi, non quod vitiosus, sed quia multus sit, eodem modo [srmiki loqui licet] fortasse hanc religionum multitudinem oporteret contrahi, & ad pauciores familias adduci, non quod inutiles, sed quod multæ sint. Et quemadmodum in bello, quamvis multi sint præstantissimi duces, unus tamen tantum deligitur Imperator, & cæteri reticiuntur, non quod ignari rei militaris sint, sed quia militaris disciplina non patitur eisdem casulis multos præesse Imperatores; eodem modo quamvis omnes religiosorum familias præstantissimis institutis abundant, tamen cum plures sint, quam hoc tempus postulare videtur, equidem non video, cur non possint aliquæ in primis deligi, & cæteræ omnes (præsertim cum non sit magnum inter eas dissimilem) eisdem adjungi, aut de medio tolli. Hæc autem omnia ita dico, ut nihil temere affirmem, sed sanctissimi Domini nostri Sixti V. judicium longe his rationibus anteponam. Atque de his haec tenus, invitus enim de ejusmodi rebus, quæ ad me non pertinent loquor, sed me Concilii Lateranensis, & Lugdunensis decreta in has angustias compulerunt.

Hæc autem quæ dicta sunt de multitudine religionum, multo magis dici possunt de multitudine cœnobiorum, quæ de causa multis Conciliorum decretis, & tandem Concilii Tridentini auctoritate cautum fuit, ne monasteria injussu Episcopi adificarentur. Cum enim aliqui præfecti tanto desiderio propagandæ religionis te-

ne-

nsantur, ut gravissimum onus, quod suis humeris imponunt, vix perpendant, seque utilitatem afferre putent, cum maximum afterunt detrimentum, sapienter multæ synodi (a) decreverunt, ut res ad Episcopum deferretur, ut ipse eam suis ponderibus examinaret, et si erraret præfetus sui officii illum admonereret. Si enim multa ædificantur monasteria, necesse est multos monachos congregari, qui in illis commoren-
 (a) Chal.
 ed. cap. 4.
 Agath. cap.
 27. & 58.
 Epaun. c. 10.
 Trid. Jeff.
 21. cap. 2. de
 regul.

omnibus antecellunt. Præfetus namque est dux, & princeps, ipse gubernacula tractat, ipsiusque cura, & virtute sæpiissime salus monachorum, & cœnobii dignitas continetur. Quemadmodum enim cives Regis, & milites ducis studia, magna ex parte sequi solent, ita monachi plerumque præfecti mores imitantur, vehementiusque illius exemplo, quam ulla cohortatione commoventur. Est itaque ipse velut speculum, in quo monachorum mores expressi cernuntur, est exemplar, quod sibi ad imitandum proponunt, est denique Præfetus tamquam sigillum, & monachi tamquam cera, in qua imprimitur illius imago. Quare si Præfetus vult monachos temperantia, patientia, & aliis virtutibus florere, caput est, ut ipse iisdem virtutibus floreat, talemque se monachis præbeat quales cupit monachos esse. Vix enim monachi illius oratione flectentur, nisi prius illius exemplū intueantur. Nā ut Prosper ait (d) *sumpuosis dapibus crudus non potest suis abstinentiā l. nudare, quam calcat vito cupiditatis adductus, cupidis amore non potest dissuadere pecunie: ini- micitiā tenet non valebit animos dissidentiū cap. 28.*

(b) Arel. chos decet, consulto Patres [b] in multis conciliis, & tandem in Tridentino [c] statuerunt, ne plures monachi in cœnobio cooptarentur, quam aut ipsorum facultatibus, aut benignitate civium commode possent ali. Et quia parva monasteria obesse solent religionibus cum monachi in illis vix religionis leges servare valeant, majoreque utantur libertate, quam patitur monastica disciplina, cumque iisdem postea si ad majora cœnobia confluunt, aliis moribus assueti, vix religionis severitatem pati possunt, longitudinem precum ægre ferant, vigiliis nocturnis defatigentur, & tandem cum suo exemplo non raro noceant, suoque fastidio alios stadium currentes remorentur, merito Gregorius XIII. pia memoriam lege sanxit, ne monasterium ullum ædificaretur, quod duodecim saltē Monachos alere non posset.

Hæc sunt quæ de monasteriis, & Monachis mihi in mentem venerunt: occurabant præterea multa de probatione, & de probationis tempore, de professione, & de quibusdam Religionibus, quæ longe, quod ad professionem attinet, ab aliarum consuetudine discedunt, de paupertate, de castitate, de obedientia, de vestitu, de exercitationibus, in quibus olim versabantur: sed mihi non est in animo ea omnia, quæ ad religionem spectant, commemorare, sed ea tantum in medium proferre, quæ ad hujus libri explicationem videntur pertinere.

Restabat modo, ut de præfectoris verba faciem, sed quia video longam esse hanc disputacionem, timeoque ne extra fines, quos mihi a principio constitui, fuerim egressus, nolo modo ea persequi, quæ de ipsis, ipsorumque electione, & munib[us] dicere volebam. Illud autem proferam, quod inter omnes constat, summoque multorum conciliorum, & sanctorum Patrum consensu confirmatur, munus hoc temperandi re publicam monachorum, & continendi illos in officio gravissimum esse, & non ad quoscumque, sed ad eos tantum pertinere, qui omni virtutis genere, & in primis virtutis integritate, & prudentia reliquis

(d) Lib.
 1. de vita
 contemplat.
 e. 15. apnd
 sys. Aquigr.
 cap. 28.
 Sacerdotali tranquillitate compescere. Hæc & plura alia Prosper, quæ sane certa videntur. Si enim Præfecti magno famulorum comitatu deletantur, si ornant auleis parietes, si parant laurā, & elegantem suppellestilem, si habent vala magnifica, & preciosa cælata, quonam modo hi, quantumvis eloquentia valeant, suis monachis laborum contemplationem, & rerum humanarum despicientiam poterunt persuadere? Si Præfecti parant opipara convivia, jubent mensas epulis conquisitissimis extrui, gaudent apparatum, & magnificentiam ab ipsis convivis laudari, quonam modo poterunt monachos ipsis ad frugalitatem, & parsimoniam incitare? quonam inquam modo poterunt monachis suadere, ut parvo contenti voluptates tamquam animi pestes aspernentur? eaque tantum querant, sine quibus vita conservari non potest. Si Præfecti altiorem dignitatis gradum querunt, aut saltē eundem retinere, vel parem consequi cupiunt, si priyatam agere vitam recusant, si blanditijs, & munib[us] illorum sibi benevolentiam conciliant, quos vident plurimum auctoritate valere, si denique amant, ut Christi verbis utar, primos recubitus in mensis, & ab hominibus appellari Rabbi! voluntque coli, & suscipi ab hominibus, quonam pacto ad modestiam, ad contemnendam gloriam, ad despiciendos honores, ad reiicienda ea omnia, quæ magna hominum pars in bonis habere solet, quonam, inquam pacto ad Christi, & sanctorum vestigia persequenda poterunt monachos inflammarē? sed de his satis. Ego enim neminem ejusmodi esse credo, omnes Præfectos suas curas, & cogitationes ad imitandos Patres illos antiquos, qui Religionum fundamenta jecerunt, convertere puto, omnes esse existimo frugulas, modestos, temperantes, & non solum cohortatione, verum etiam exemplo monachos ad omne virtutum genus incitare, & quod majus est, hoc munus regendi cœnobia invitare, & coactos sustinere. Supicor ipsis semper ante oculos id versari quod

Zzz

D. Hie-

(a) In D. Hieronymus ait (a) & D. Gregorius confirmat (b), talem esse debere pastorem hominum,
 op. ad Ocean. Lib. 2. pastor. cap. 1. „ ut non minus superet plebem, quam ovium
 „ pastor superat ipsum gregem “, ideoque non solum eos non desiderare Praefecturas, verum etiam illas onus quoddam Ætna gravius existimare. Itaque non quod illos admonitione ulla egere putarem, hæc protuli, sed ut ostenderem quam necessaria sit monachis virtus Præfecti.

In Partis II. Librum I.

Absoluta prima parte hujus collectionis, in qua actum fuit de personis, sequitur secunda de rebus. Sumitur autem apte initium in illa a templis, basilicis, oratoriis, & aliis ædificiis hujus generis, quia hæc communia sunt omnibus, patetque aditus ad ipsa non solum fidelibus baptizatis, verum etiam cathecumenis, immo Judæis, & aliis infidelibus, eo tempore excepto, quo divina mysteria celebrantur. Immo ad ipsas audiendas conciones in nonnullis regionibus non solum infideles ingredi possunt, verum etiam sape alliciuntur, atque invitantur. Licet autem hic liber de Ecclesiis multos titulos contineat, tamen tota hæc disputatio in quatuor partes distribui potest. In prima agitur de Ecclesiis ædificandis, & restituendis; quoniam autem Ecclesiæ non solum ædificantur, sed ut distinguantur ab ædificiis profanis, tam ipsæ, quam altaria dedicari, & consecrari solent, ut in his ea, qua decet sanctitate, divina mysteria celebrentur, ideo sequitur secunda pars de ejusmodi consecratione in varios titulos distributa. Præterea quia oportet Christianos templis, & illorum partibus venerationem magnam adhibere, sequitur tertia pars, in qua variis titulis sunt, qui ad hanc venerationem spectant, qualis ille est, ne laici ingrediantur cum armis in Ecclesiam: item ne in Ecclesiis iudicator, & alii hujusmodi quos in ipso libro quilibet legere potest. His accedit ultima pars, tum de ecclesiistarum partibus, tum de aliis ædificiis, quæ eisdem adjuncta sunt, aut aliquo modo ad ipsas ecclesiæ videntur pertinere. Video non nullos esse titulos, qui non comprehendantur sub hac divisione, sed hi per pauci sunt, & si diligenter perpendantur, vix possunt alio loco comode collocari.

In Partis II. Lib. I. Titulum I.

Timeo ne quispiam existimat hunc titulum alienum esse ab hoc libro, cum in eo præcipue agatur de ecclesiis, quatenus ædificia sunt Deo dicata, in quibus mysteria divina celebrantur. At vero cum ecclesiæ ea de causa hoc nomen acceperint, quia ad illas confluunt fideles, & sunt Christianorum congregations, idcirco non inepte cum de ecclesiis hoc loco agatur, titulus de ecclesia catholica, nimis de universa fidelium omnium congregatione primo loco collocatur.

Præterea hic liber fuit jam ab Ant. Augustino viro eruditissimo in lucem editus, ipseque hunc ordinem adhibuit, & in ipso inicio hunc titulum apposuit. Cum igitur jam divulgatus fuerit ab ipso auctore, consentaneum fuit nihil immutari

in illo: præsertim cum hoc initium satis huic loco congruere videatur.

In Partis II. Lib. I. Titulum II.

Multa decreta sunt in hoc titulo observatio-ne digna, & ut alia omittam, illud caver-tur auctoritate Concil. Emeriten-sis, & Arelaten-sis sub Carolo Magno, & item aliorum Conci-liorum, ut presbyteri, & alii Clerici, qui ex fru-ctibus beneficiorum aluntur, sumptus faciant, si necessitas postulat, in templorum ædificia tuenda, & conservanda, etsi ruinam minantur in eadem erigenda, & restituenda. Extant item de hac re in jure novo nonnulli canones, ut patet ex c. 1. & ex c. *De his*, de Ecclesiis ædificand. ex quibus pri-mum illud cap. quod de pro-mptum est ex Concil. Maguntino, item in hoc titulo continetur.

In Partis II. Lib. I. Titulum XXI.

CUM in hoc titulo agatur de tertia parte, vel quarta, quam antiqui ad Ecclesiæ extru-endas, & easdem tuendas destinare solebant, con-gruenter collocatur post titulum de templis ædifi-candis, quod attinet ad ipsa decretæ, quæ sunt in hoc titulo, nihil occurrit, cum eam omnibus notissimum est solitos fuisse antiques Ecclesiæ facultates in quatuor partes distribuere, ex quibus una erat Ecclesiæ fabricæ præstituta. Sed jam hujusmodi canones, ut appareat, contra-ria consuetudine abrogati sunt. Licet enim Ec-clesiæ præsertim primariæ habere soleant certam aliquam pecuniam annuam, qua ædificia, farta tecta conservantur, & templo ipsa ornantur, ve-stibusque, & vasis sacris locupletantur, tamen vix umquam terria, aut quarta pars in res hujusmodi insumitur, & certe cum templo hac nostra ætate magna ex parte sint jam extructa, & ædificata, non videtur tanta pars necessaria modo ad ipsa templo tuenda, & conservanda. Hæc de Ecclesiæ primariis. De aliis autem jam supra dictum fuit jure cautum esse, ut si minantur ruinam, clerici qui fructibus ipsarum Ecclesiæ aluntur, easdem quoad possint restituiri, & refici cureant. Item videtur esse officium illius, qui templum erexit, deditque operam ut consecraretur, illud ipsum suis sumptibus reficere, & tuere, ut patet ex c. *Cum sit*, de conservand. Eccles. & altar. & tandem in hac re sunt variæ consuetudines rationi consentaneæ, quas non est nostrum modo per-censere.

In Partis II. Lib. I. Titulum IV.

Post decreta, in quibus agitur de erectione, & restitutione Ecclesiæ, sequuntur jam alia de earumdem consecratione, quæ pertinent ad hujus libri secundam partem. In hoc autem ti-tulo illud caveratur, ne sacerdos Missæ sacrificium faciat in loco non consecrato: & certo si loquimur de Ecclesia vere, & proprie consecrata, servatis illis ceremoniis, quæ in consecratione solemnî intervenire solent, jam hæc consuetudo in multis regionibus magna ex parte est immutata. Nam quamvis etiam in jure novo non possit Sacerdos in loco profano sacram facere, tamen per multa templo sunt, in quibus quotidie Missæ celebrantur, & tamen non sunt eo modo, & illis ceremoniis consecrata, quæ in Solemni Ecclesiæ conse-

cra-

eratione servari solent. Immo hoc tempore paucæ basilicæ conlecrantur, sed mos est, ut certis quibusdam ritibus, & cæremoniis, quas postulat consuetudo nostræ ætatis, dedicentur, illudque satis esse videtur, ut Sacerdotes in hujusmodi basilicis Missæ sacrificium facere possint. Itaque his temporibus consecratio quodam modo est duplex, altera solemnior, in qua multæ cæremoniæ servantur, ex quibus nonnullæ in hoc titulo continentur, & hæc proprio nomine appellatur consecratio. Alia autem est minus solemnis, in qua templum ipsum etiam Deo dicatur, & ab ædificiis profanis certis quibusdam ritibus distinguitur, & separatur. Hoc autem dedicationis genus nunc frequentius est, quia minorem habet difficultatem, quamvis illud, de quo supra dictum est, maiorem sine dubio contineat solemnitatem, & auctoritatem. Tantumque Ecclesia ipsa tribuere solet huic solemni consecrationi, ut illius memoria in tabulis ecclesiasticis ejus templi propriis collocari, & ibidem die festo anniversario celebrari jubeat, ut patet ex epistola I. Felicis IV. c. 1. & est in hoc titulo c. 7. & apud Gratianum de consecr. dist. I. c. 15. & 16. & confirmatur perpetua Ecclesiæ consuetudine, quæ etiam extat hac nostra ætate.

Licet autem communiter, ut dictum est, sacram fieri non possit, nisi in Ecclesia, aut solemniter consecrata, aut saltem eo modo, quem diximus, dedicata, tamen postea ante Concilium Tridentinum consuetudine sane vitiosa introductum fuit, ut in locis profanis etiam celebraretur; qui usus in eodem Concilio sublatus est, ut appareat ex ses. XXII. in decreto *de observandis, & vitandis in celabratione Missæ*, in quo cavetur, ne extra Ecclesiam, & ad divinum cultum tantum dedicata oratoria, ab ipsis ordinariis designanda, & visitanda Missæ sacrificium celebrari liceat.

De diebus ad consecrationem destinatis, dubitare fortasse aliquis posset, quia in Concilio Cœfaraug. III. c. 1. cavetur, ut Ecclesiæ consacrentur diebus tantum dominicis, videturque id consuetudine confirmari. Sed revera potest Episcopus quocumque die Ecclesiam consecrare, ut patet ex Innocent. III. in c. Tua, de consecr. Eccles. vel altar. Occurrerant hoc loco multa de Ecclesiæ pollutione, & reconciliatione, sed hæc notissima sunt, & a multis doctoribus præsertim recentioribus copiose, & diligenter disputantur.

In Partis II. Lib. I. Titulum VI.

QUAMVIS aliquando, ut constat ex his, quæ supra proposita sunt, liceat Sacerdoti extra Ecclesiam consecratam sacram facere, tamen nunquam licet nisi in altari vere consecrato, quod probatur ex Ecclesiæ consuetudine. Immo cum altaria duplia sint, alia firma, quæ non possunt ex uno loco in aliud transferri, hæc sane simulatque de suo loco moventur, jam sunt iterum consecranda, ut appareat ex c. 1. & ex c. Quod in dubiis, de consecr. Eccles. vel altar. Idem est si lapis ille superior, cui consecrationis benedictio adhibetur, fuerit ruptus, quod item colligitur ex eisdem capitibus. Alia vero altaria extant, quorum usus præcipue hac nostra ætate viget, quæ

non sunt firma, sed transferuntur ex uno loco in aliud, quam ob caussam portabilia vulgo vocantur; in his autem si fuerint confracta nullo modo Missæ sacrificium celebrari potest, quamvis si pars illa fracta exigua esset, adhuc posset in ea sacram fieri, ut apparer ex d. c. *Quod in dubiis*, In quo hæc verba sunt: *Altare vero, in quo tabula, cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito consecrari*. Itaque tunc ait altare esse iterum consecrandum cum enormiter fractum fuerit, quare si pars, ut diximus, est minima, & in ea parte, quæ restat integræ, supereft locus aptus, in quo possit esse calix, & hostia consecrata, adhuc Sacerdos poterit in ipso Missæ Sacrificium facere.

Illud tandem ultimo loco de altaribus occurrit, scilicet posse multa altaria uno & eodem tempore ab eodem Episcopo in una Ecclesia coseccrari, ut patet ex Innocent. III. in c. Cum sit, eod. tit. de consecr. Eccles. vel altar.

In Partis II. Lib. I. Titulum XII.

IN hoc titulo, & in aliis, qui proxime sequuntur, continetur tertia pars hujus libri: agitor enim de veneratione, quæ debetur Ecclesiæ, & Altaribus. Quamvis autem nonnulla ex his, quæ hoc loco statuuntur, sint contraria consuetudine jam sublata, qualia sunt decreta, quibus cavetur, ne Christiani ingrediantur cum armis in Ecclesia, tamen multa adhuc extant, & sunt communis Ecclesiæ usu confirmata, quale illud est ne in Ecclesiæ jus dicatur, ne qui ad Ecclesiæ configunt, inde extrahantur præter quam in casibus a jure permisis, & alia hujusmodi, quæ pertinent ad venerationem, & immunitatem ipsarum Ecclesiærum. De hoc autem eodem argumento extant per multa in jure novo, quæ quoniam accurate & diligentia a multis juris Pontificii DD. disputantur, consulto modo prætermitto.

In Partis II. Lib. I. Titulum XXIV.

CUM fuit superioribus annis hic liber in lucem editus, erat hoc loco titulus quidam *de Ecclesiis ædificatis a Constantino Magno Imperatore*, depromptus magna ex parte ex actis Silvestri: & alter, *de templis ereditis a variis Pontificibus Romanis*: Sed quia plurimum longitudine superabant, & præterea neque comprehendebant, neque comprehendere commode poterant omnia, quæ de hac re apud antiquos extant, consulto fuerunt omnino sublati.

His omissis cum hic liber de Ecclesiis in quatuor partes a principio fuerit distributus, in hoc titulo jam, & in his, qui sequuntur, continetur ultima pars de partibus quibusdam ipsorum templorum, & de aliis ædificiis, quæ solent esse eisdem Ecclesiis adjuncta, aut ad eas aliquo modo videntur pertinere. Itaque in hoc titulo extant *Canones*, in quibus est mentio de matrice, & de Episcopio: non autem in his decretis accurate agitur de his rebus, sed tantum efferuntur hujusmodi nomina, quæ operæ pretium erit aliud de his dicere.

Ecclesiæ matrices appellantur illæ, quæ sunt cæterarum principes, & ex quibus aliæ pendent, & quarum ritus, & consuetudines sequi solent,

cujuſmodi ſunt Ecclesiæ cathedrales, ut appetet ex Concilio Milevitano c. 25. & etiam ex concilio quodam Ravenn. sub Joanne IX. & ex aliis decretis, quæ ſunt in hoc titulo.

Epiſcopia vero erant olim ædes ipsorum Episcoporum, quæ plerumque erant iphis Ecclesiis finitimæ, habebantque multa privilegia.

In Partis II. Lib. I. Titulum XXV.

DE secretario, ſive Diacono ſaþe eſt mentio apud antiquos, nullus autem eſt locus, quantum coniicere poſsum hac noſtra ætate, qui omni ex parte diaconico repondeat. Sed cuþ aliqua decreta ſignificare videantur, vafa dominica in diacono ſolita fuſſe ſervari, & non patere mulieribus adiutum ad Diaconum, videtur quodam modo eſſe locus ille, qui modo dicitur *sacrefia*. At vero cum in Concilio Arelatensi II. Diaconi in secretario, ſive Diaconico inter Presbyteros ſedere prohibeantur, appetet, hujusmodi locum foriſte ad negotia ecclesiastica tractanda fuſſe deſtinatum. Præterea viduae, quæ apud Episcopum caſtitatem proſitebantur, in secretario, ut patet ex Concil. Arauſican. I. c. 27. ſolebant aliquando ſe voto obſtringere, quæ omnia ſi diligenter perpendantur, videntur aliena a loco, quem modo nominavimus.

In Partis II. Lib. I. Titulum XXVI.

HÆC nomina non ſemper videntur eamdem ſignificationem habere: *sacrarium* enim apud sanctum Clementem in epift. 2. videtur ſignificare tabernaculum illud, in quo Euchariftia ſervari ſolet, ut patet ex his verbis: *Quia autem residua Corporis Domini, quæ in ſacrario reliqua ſunt, consumunt, non ſtatiu ad communes accipiendos cibos convenientiaſt. Præterea videtur etiam nomine ſacrarii totus ille locus significari, qui vicinus eſt eidem tabernaculo, quod videtur item colligi ex eodem Clemente in d. Epift. 2. Si poſt ordinationem, inquit, ministro Altaris contigerit proprium invadere cubile uxorii, ſacrarii non intret limina.*

Sanctuarium autem apud eumdem Clementem idem videtur eſſe, quod ſacrarium, ut appetet ex eadem Epiftola, nam vela, quæ in iphis Epiftolæ initio appellat *Sanctuarii*, paulo poſt videtur nominare vela ſacrarii.

Presbyterium aperte synodus Romana ſub Eugenio II. & Leone IV. cap. 33. nominat locum illum, in quo Sacerdotes, & alii Clerici, cum officia divina celebrantur, conſiſtere ſolent. Hæc enim ſunt ſynodi verba: *Nulii laicorum licet in eo loco, ubi ſacerdotes, reliquive clerici conſiſtunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando missa celebratur, conſiſtere.* Haſtenus ſynodus. Ex quibus verbis aperte appetet, presbyterium eam partem eſſe, quæ nunc *chorus* diſtit, in qua licet omnes clerici adiſint, tamen a presbyteris merito nomen accepit, fuitque diſtit presbyterium. Erat autem hoc presbyterium olim iþi ſummo Ecclesiæ altari adjunctum, ut conſtat ex Concil. Turon. II. cap. 4. & ex Ecclesiis antiquis, quæ Romæ extant. Ut autem appetet ex d. Synodo Romana ſub Eugenio II. & Leone IV. eam ob cauſam adiutus laicis,

cum divina officia celebrauitur, ad presbyterium non patebat, ut clerici libere, & honorifice ſacra officia exercere poſſent. Adeo autem hæc conſuetudo priscis illis temporibus vigebat, ut vix Epifcopi (faltem qui ſanctitate excellebant) iphis Imperatoribus, quo tempore miſſæ ſacrificium ſiebat, ingrediendi in presbyterium facerent poſteſtatem. Neque patet exemplo illo pervulgato D. Ambroſii, qui Theodorio Imperatori potentissimo obſtitit quominus cum clericis in presbyterio ſederet, cuius Ambroſii factum non ſolum Theodosius patienter tulit, verum etiam laudavit, statimque Ambroſio, ut par erat, ex presbyterio egrediens obedivit. Habebat autem locum a clericis diſtinctum populus in templo, quem ſynodus Turonen. XV. cap. 4. *sanctæ ſanctorum* appellat, ubi viri a ſeminoris erant ſeparati, ut appetet ex eadem ſynodo Romana ſub Eugenio II. & Leone IV. cap. 33. *Sicuti in Ecclesia*, ait ſynodus, *singula videntur enpoſita, ita virorum pars & mulierum partibus ſuis contenta ſit.* Immo non omnes mulieres promiſſe ſedebant, ſed quibusdam tabulis erat ſejunctus locus ſacrarum virginum a loco reliquarum mulierum, quod colligitur ex multis aucto-ribus, & in primis ex D. Ambroſio in traſtatu *de virginē lapsa*. Erant præterea priscis illis temporibus alia quædam loca variis hominum generibus deſtinata, ut catechumenis, & poenitentibus. Immo ipſi poenitentes non omnes erant in eodem loco; alii enim ſtabant ante fores Ecclesiæ, alii in templo prope ipſius templi januam, alii vero erant in aliis locis, de quibus coſmadius agetur in libro de poenitentia.

Est item in hoc titulo mentio *Gazophylacii*: quid autem *Gazophylacium* ſit, appetet ex iſa nominis ſignificatione. Erat enim olim *Gazophylacium* locus deſtinatus ad cuſtodiendum Ecclesiæ theſaurum, & etiam aliquando, cum neceſſitas inſtabat, ad ſervandam Christianorum pecuniam, & vafa aurea, atque argentea, & alia ejus generis. Modo in nonnullis Ecclesiis videtur huic *Gazophylacio* loco ille respondere, qui vulgo *Archivium* nominatur, licet enim locus ille magna ex parte ad ſervanda ſcripta, & monumen- ta ecclesiastica fuerit iſtitutus, tamea etiam ibidem ſepiſſime Ecclesiæ pecunia, & res omnes, quæ magni aſtimantur, reponi ſolent.

In Partis II. Lib. I. Titulum XXVII.

Cœmeteria erant loca, ut ſunt etiam mode, ſepeliendis Christianis deſtinata. Olim autem magna ex parte erant extra urbes, ſolebantque Christiani, praefertim Romæ priscis illis temporibus ad ea ſe recipere, & in eis omnia noſtræ religionis mysteria præcipua celebrauit. Cum autem loca illa ampla eſſent, multaque ædificia haberent adjuncta, non ſolum alii clerici, verum etiam Pontifices ſepiſſime in illis habitabant, ut patet ex Liberio Papa, qui ut eſt apud Damalum habitavit in cœmeterio ſanctæ Agnetis. In his igitur cœmeteriis celebrauitur miſſæ ſacrificium, conferebatur baptismus, administrabantur reliqua sacramenta. In his item habebantur conciones, & denique in rebus omnibus magni mo-

momenti, quæ ad religionis cultum pertinebant, statim solebant Christiani ad hæc cœmeteria concurrere. Est itaque has ob caussas magna apud antiquos cœmeteriorum mentio, adhibebantque Pontifices ipsi diligentiam magnam in ipsis ornandis, illorumque ædificiis tuendis, ut patet ex eodem Damaso multis in locis, & præsertim in Fabiano: *Hic, inquit, multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit, & ex Anastasio Bibliothecario in Joanne III. Hic, ait, ampliavit, & restauravit cœmeteria sanctorum martyrum.* Itaque ut omnia in pauca conferamus, Christiani antiqui, præsertim Romæ plurimum cœmeteriis tribuebant, tum quia in illis erant martyrum sepulchra, tum etiam quia erant loca ad res Christianæ religionis exercendas maxime accommodata. Ipsi autem antiqui Imperatores, cum Christianos infestabantur, totis viribus illos a cœmeteriis arcebant, & aliquando missis militibus eos in eisdem cœmeteriis vita privabant, ut Xystum II. de quo D. Cyprianus lib. 5. Epist. ad Succesus hæc verba profert: *Xystum in cœmterio animadversum sciatis, & cum eo diacones quatuor VIII. Iduum Augustarum die.*

In Parte II. Librum II.

Quoniam in superiore libro actum est de Ecclesiis, & templis, quæ ex Christianæ Religionis instituto ad cultum divinum spectant, & in illis sacerdotes, & reliqui clerici Deo preces adhibent, & in aliis rebus divinis versantur, congruerter modo sequitur hic liber de monasteriis, & Xenodochiis, & aliis locis hujusmodi, quæ item partim ad preces, & ad laudes divinas proferendas, partim ad misericordiam pauperibus exhibendam perpetuo fere Ecclesiæ, & sanctorum Patrum usu fuerunt constituta. Quamvis autem jam in libro nono de ipsis monachis fuerit habita disputatio, & omnia, quæ monachorum sunt propria ex jure veteri, in illo libro fuerint colligata, tamen nunc agitur proprie, non tam de monachis, quam de ipsis cœnobiis, & monasteriis. Et quemadmodum, licet, actum fuerit in libro sexto, & in aliis, qui proxime sequuntur, de presbyteriis, & de cæteris clericorum ordinibus, tamen convenienter in libro proximo adjuncta est disputatio de ipsis templis, & basilicis, in quibus clerici commorari solent. Eodem modo, licet in libro nono multa dicta sint de monachis, consentaneum est addere nunc alia de ipsis ædificiis, & monasteriis. Methodus enim hujus collectionis postulat, ut in prima parte agatur de personis, & in secunda de rebus. Quare merito cum supra actum sit de ipsis monachis, adjungitur modo in hoc libro disputatio de eorundem cœnobiis, & item de bonis, & de aliis rebus hujusmodi, quæ ad eosdem monachos, ad ipsorumque monasteria in veteri jure spectant.

In Parte II. Lib. II. Titulum I.

Multa hoc loco dici possent contra hæreticos nostræ ætatis, qui simulant se antiquas Ecclesiæ consuetudines non improbare, & nihilominus, cum in hoc titulo Conciliū Chalced. quod antiquissimum est, & maximæ auctoritatis, ut alia recentiora omittam, plurimi monasteria fa-

ciat, & aperte ipsa sæcularia diversoria fieri prohibeat, ipsi hæretici contra hujusmodi cœnobias adeo contemnunt, ut etiam aliquando equos, & alia jumenta in illis reponere soleant. Sed de his haec tenus, neque enim nobis modo propositum est cum illis disputare.

In Parte II. Lib. II. Titulum II.

Repetitur hic titulus in libro nono, & in eo canones, qui ad hanc rē spectant, continentur. Nimirū Chalced. c. 4. Nicæn. II. c. 17. Agath. c. 27. & 58. Item Epaun. c. 10. His adjungere possumus Concilium Tridentinum Sess. XXV. de Regularibus cap. 3. in quo illud cavetur, ne plures Monachi in Monasteriis degant, quam qui commode ali possint, & ne monasterium ullum erigatur, nisi Episcopus assentum præbeat. Hæc enim sunt verba Concilii: *In predictis autem monasteriis, & domibus tam viorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari, ne de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia, prius obtenta.* Haec tenus Concilium. Itaque tantum abest, ut decreta hujus tituli sint abrogata, ut hac nostra ætate fuerint Concilii Tridentini auctoritate confirmata.

In hoc titulo multa occurribant de Monachis, sed jam habent locum proprium, in libro namque nono omnia quæ ad Monachos pertinent latissime continentur.

In Parte II. Lib. II. Titulum VII.

Timeo ne fortasse hic titulus parum videatur huic libro consentaneus, cum revera disputatio hæc sit de monasteriis præcipue, & de Xenodochiis, & de aliis locis hujusmodi, quæ a viris bonis, & piis ædificari solent. At vero cum in his locis, & præsertim in Xenodochiis, & Nosocomiis, & aliis hujus generis pauperes alantur, aut si morbo premuntur, gratis curentur, & denique, ut brevi hanc rem comprehendam, hæc loca omnino sint pauperum usibus destinata, merito sane statim a principio, antequam de his locis agatur, hic titulus generalis de eleemosyna collocatur. Merito etiam postea alii tituli de pauperibus, & de ipsis alimentis sequuntur, quia in hac collectione nullus liber accommodator ad hujusmodi disputationem de eleemosyna, & de pauperibus videtur, cum in hoc agatur de Xenodochiis, & de aliis ædificiis pauperum propriis, cum his namque apte conjuguntur ea omnia, quæ de eleemosynis, & de pauperibus alendis, atque sustentandis in jure veteri reperiantur.

In hoc titulo plura fuerunt deprompta ex sacris literis, quam in aliis titulis: ratio autem est in promptu, quia tam in veteri, quam in novo testamento est maxima eleemosynæ mentio, pauperesque summopere commendantur.

Poterant hoc loco multa afferri de eleemosyna, & de his, qui tenentur illam conferre, & de tempore, de modo, & de aliis rebus hujusmodi: sed hæc non possunt paucis commemorari, disputantur

co-

copiose, & accurate a Theologis, ut a D. Thom. 2. 2. q. 32. & 33. & ibidem a Cajet. & ab aliis recentioribus, qui commentarios scribunt in hac parte D. Thom. & a multis aliis DD. quos longum esset percensere.

In Paris II. Lib. II. Titulum VIII.

POstulat hic titulus, ut hęc vocabula explicentur. Illud autem certum est, ea omnia, de quibus hoc loco est mentio, esse varia hospitalium genera. Xenodochia enim, quę primo loco commemorantur, sunt pauperum peregrinantium hospitia, sive hospitales domus, in quibus gratis, quę ad viatum, & ad quietem capiendam pertinent spatio unius noctis, sive unius diei, aut duorum, vel trium, juxta ipsius hospitalis morem präberi solent. Hujusmodi autem Xenodochia olim erant multa, præsertim in illis iacis, ad quę propter sanctorum reliquias, & sepulchra, vel ob alias caussas ad divinum cultum spectantes, multi pauperes confluabant. Viget etiam modo eadem consuetudo, suntque in multis regionibus hospitalia ampla, & magnifica, in quibus liberaliter pauperibus, quę necessaria sunt ad vitam tuendam suppedantur.

Præterea Ptochium, sive Ptochotrophium est nomen generale, idemque significat, quod apud nos hospitale, ut apparet ex Théodoro in explanatione c. 8. Concilii Chalcedon, cuius hęc sunt verba: *Ptochia dicuntur omnia, quę definita sunt, ac designata, ut mendicis provideatur.* Hęc Theodorus. Itaque Ptochium latissime patet, sive enim pauperes peregrini hospitio excipiuntur, sive ægroti curentur, sive pueri, aut senes alantur. Hęc omnia, & alia hujusmodi communi vocabulo Ptochia nominantur.

Deinde *Nofocomium* proprie vocatur locus, in quo pauperes ægroti degunt, & curantur. Est item in hoc titulo mentio de *Orphanotrophis*. Sunt autem *Orphanotrophia* hospitalia, in quibus infantes, vel pueri, qui parentes non habent, aluntur.

H. s addere possumus alia hospitalium genera. Erat enim olim, & sunt etiam modo in nonnullis Urbibus domus hospitalares ad alendos pauperes senes constitutæ. Sunt item aliæ in quibus hominibus imbecillis, qui victimi sua opera comparare non possunt, omnia necessaria præbentur. De his igitur omnibus est sermo in hoc titulo, & de eisdem item agit Justinianus Imperator in *L. Sancimus. 22. C. De sacros. Eccl.* in qua multa privilegia his locis piis concedit. Conceduntur item multa a Pontificibus Max. & a Synodis, quę longum esset percensere.

Erant autem hęc loca olim omnino in Episcopi potestate, illeque adhibebat curam, & diligentiam in ipsis tuendis, & conservandis, ut patet ex Syn. Rom. sub Eugenio II. & Leone IV. cap. 23. quod in hoc titulo continetur, & ex cap. de Xenodochiis tit. *de Religiosis domibus.* Quod revera depromptum est ex prædicta Synodo Romana. Tantum autem tribuitur hujusmodi locis piis, si sunt auctoritate Episcopi erecta, ut non possint ullo modo in profanos usus converti, sed more vestium, & valorum, & aliarum rerum,

quę ad cultum Religionis pertinent conservari debeant, ut constat ex c. *Ad hec. eod. tit.* Extat autem in Concilio Viennens. modus, qui tenendus est in restituendis hujusmodi Xenodochiis, & aliis hospitalibus, si forte, ut fieri solet, ipsorum administratorum negligentia, aut fraude, sive alia quacumque causia bona fuerint alienata, aut ædificia everfa: datque negotium Episcopis, ut prospiciant ipsis Xenodochiis, currentque ut res ad pristinum statum redeant, bonaque ipsorum hospitalium, ut par est, in pauperum usum, ex præscriptio illius, qui hospitali domum extruxit, insumentur, & nullo modo administratores ea in suam utilitatem transferant. Facit autem ipsum Concilium Episcopis potestatem compellendi hujusmodi administratores, quantumvis ipsum hospitale ab Episcopi jurisdictione sit exemptum, aut aliis privilegiis munitum. Extat hoc decretu in Clem. *Quia contingit de religios. domib.* in qua multa alia de eisdem rebus commemorantur, confirmaturque eadem constitutio in Conc. Trident. sels. ult. c. 15. *De reform.* in quo hęc verba sunt: *Curent ordinarii, ut hospitalia quæcumque a suis administratoribus, quocumque illa nomine censeantur, etiam quomodolibet exceptis, fideliter, & diligenter gubernentur:* constitutionis Concil. Viennen. quę incipit: *Quia contingit forma servata.* Quam quidem Constitutionem eadem sancta Synodus innovandam duxit, & innovat cum derogationibus in ea contentis. Hactenus Concil. Trident. Confirmatur præterea eadem Concil. Viennen. constitutio in eadem Synod. Trident. Sels. XXV. cap. 8. *De reform.* ubi item jubet ipsos administratores, sive illi sint commendatarii, sive patroni, sive alio quocumque nomine vocantur, officio suo, ut par est, satisfacere, & fructus pauperibus destinatos juxta ipsorum hospitalium institutionem insumere; renovatque ibidem, ut dictum est, eamdem constitutionem: & quia frequenter contingere solet, ut pauperes, quos illorum hospitalium institutio postulat, non repertiantur, decernit eadem Synodus quoniammodo fructus illi sint dispensandi, neque enim vult, quod olim saepè fieri solebat, in administratorum utilitatem converti: sunt autem hęc Conc. Trident. verba: *Quod si hospitalia hęc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personae, aut per paucæ reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum diligendis, magis expedire visum fuerit, nisi aliter forte etiam in hunc eventum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum.* Quo casu, quod ordinatum fuit, observari curret Episcopus: aut si id non possit ipse, prout supra, utiliter provideat. Itaque si predicti omnes, & singuli, cujuscumque ordinis, & religionis & dignitatis, etiam si laici fuerint, qui administrationem hospitalium habent, non tam regularibus subjecti, ubi viget regularis obser-

Servantia ab Ordinario admoniti, hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad quæ tenetur, necessariis, re ipsa abire cessaverint, non solum per Ecclesiasticas censuras, & alia juris remedia ad id compelli possint, sed etiam hospitalis ipsius administratione, curave perpetuo privari possent, aliqui eorum loco ab iis, ad quos spectabit, substituantur. Et predicti nihilominus etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, que nulla eis remissione, aut compositione indulgentur, in foro conscientiae teneantur. Nec administratio, seu gubernatio hujusmodi locorum uni, & eidem personæ ultra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur. Non obstante quoad omnia supradicta, quacunque actione, exemptione, & consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu privilegiis, aut indulxit quibuscumque. Hancenus Concil. Trident.

In Partis II. Lib. II. Titulum IX.

POst titulum de Xeaodochiis, & aliis locis piis ad alendos pauperes constitutis, congruenter sequitur titulus de *Gymnassis*. Quemadmodum enim in illis alitur, & curatur corpus, ita in his animus expolitur, & exornatur. Quamvis autem gymnasia non tantum pertineant ad pauperes, sed communia sint ipsis & divitibus, tamen magnam sane in his erigendis, & constitwendis pauperum rationem habuit semper Ecclesia. Primum enim, ne qui paupertate premuntur, inopiae causa a litterarum studiis abstioere cogarentur, Ecclesia ipsa & Pontifices, ut his consulerent, sepe curarunt, & constituerunt, ut Magistri in locis commodis designarentur, qui gratis docerent. Extant multa decreta de hac re in hoc tit. & etiam in jure recentiore, ut patet ex toto tit. *Dz magistris*. Immo quia difficile aliquando erat, Doctores paucim reperire, qui ad docendum apti essent, illud caustum fuit in c. ult. eod. tit. ut adolescentes pauperes, qui acumine ingenii praestarent, sumptibus Ecclesiae a Praelatis ad gymnasia, sive universitates mitterentur, in quibus Theologiae operam darent, ut postea sua eruditione, & doctrina Ecclesiae utilitatem afferre possent. Tantum autem in eodem cap. ipse Pontifex doctoribus, & auditoribus Theologiae tribuit, ut etiam absentes, dummodo, ut dictum est, in his studiis re ipsa versentur, & doctores ipsi in academiis actu doceant, suarum præbendarum, & aliorum beneficiorum fructibus quiaquenni spatio frui permittat.

Ut autem major utilitas ex litterarum studiis ad Ecclesiam pervenire posset, deinde in Concilio Viennen. ut appareat ex Clem. 1. *de magistris*. decreverunt Patres, ut in principiis orbis Christiani gymnasii magistri sumptibus Ecclesiarum constuerentur, qui linguam hebræam, chaldaeam & arabicam docerent, ut his linguis theologi munici facilius possent cum sarracenis, & aliis infidelibus de rebus nostræ religionis communicare, eosque a festis falsis, quas amplectuntur, ad verum Dei cultum transferre.

Et denique quantum Ecclesia semper ipsis gymnasii favet, quantumque conata fuerit, et-

iam pauperes ipsos ad studia literarum excitare facile colligi potest ex privilegiis variis, quibus gymnasia præcipua, sive universitates exornare solet, item ex collegiis, quæ magna ex parte pauperum causa instituta sunt, ex quibus non pauca non solum fuerunt a Pontificibus privilegiis munita, verum etiam ab eisdem erecta, & locupletata. His addere possumus seminaria, quæ Concilium Trident. sess. XXII. in singulis diocesis extrui iussit, non solum enim ei, quæ olim fuerunt statuta de Magistris confirmavit, & in Ecclesiis Metropolitanis, & aliis Cathedralibus doctorem esse voluit, qui sacram scripturam explanaret, atque in aliis Ecclesiis minoribus magistrum aliquem, qui gratis linguam latinam clericos pauperes doceret, ut patet ex sess. V. in decreto de reformat. Verum etiam summo consilio, & prudentia statuit, ut pueri, & alii adolescenti pauperes, qui ingenio valerent, aptique ad litterarum studia viderentur, simul in Collegio, vel domo aliqua idonea sumptibus Ecclesiae alecentur, & in litteris operam adhiberent. Statuit ibidem synodus multa de eorum ætate, numero, studiis, & Collegii administratione, quæ quia notissima sunt, usque jam in omnibus fere provinciis servantur, supervacaneum puto de his plura proferre. Itaque ut ex his omnibus, quæ dicta sunt, constat, semper Ecclesia gymnasia magni fecit, ipsisque etiam pauperes ad studia litterarum impulit, & scientiarum cognitionem reipub. christianæ utilissimam existimavit. Quare merito sane gymnasia post Ecclesias, & hospitalia in hac collectione numerantur.

In Partis II. Lib. II. Titulum X.

CUM actum sit supra de hospitalibus, & aliis locis ad pauperum usus destinatis, contentaneum est, alia multa, quæ sunt in jure veteri de ipsis pauperibus, & de eorum alimentis in medium proferre.

Itaque in hoc extremo libro tituli omnes, qui reliqui sunt, ad ipsis pauperes pertinent, & decreta, quæ a veteribus synodis, & Pontificibus de illis alendis, & tuendis, atque ab injuriis, quas eis nonnumquam viri potentes, & divites inferunt, defendendis, statuta sunt, commemoratur. Primum autem in hoc titulo X. agitur de quartâ, quæ olim erat pauperibus destinata. Illud enim certum est, Patres antiquos, plurimum pauperibus prospexit, solitosque fuisse illos Ecclesiae sumptibus alere, ut patet ex can. 41. Apost. & ex Concil. Antioch. c. 25, & ex Carth. IV. c. 31. Extantque multa de hac re apud Concil. Aquisgr. c. 9. & 10. & apud Parisiens. sub Ludov. & Lothar. lib. 1. c. 12. deprompta ex D. Isidoro, & ex D. Hieronymo, & ex D. Gregorio. Et denique hoc est perspicuum Ecclesiam semper, & Episcopos magnam curam olim in pauperibus alendis, & fovendis adhibuisse, illisque omnia, quæ ad vitam tuendam erant necessaria, quantum Ecclesiae facultates patiebantur, solitos fuisse luppeditare. Nulla autem erat certa pars temporibus illis ex bonis Ecclesiasticis pauperibus constituta, sed sumebat ipse Episcopus sibi, præbebatque presbyteris, & aliis Clericis ea, quibus indigebant

reliqua autem pauperibus distribuebat, ut patet ex can. 41. Apost. & ex Gelas. Epist. 2. in princ. & ex Concil. Antioch. c. 25. At vero postea multorum Pontificum, & Conciliorum decretis cautum fuit, ut Ecclesiarum redditus in quatuor partes dividerentur, ex quibus unam Episcopus, alteram Clerici, tertiam pauperes acciperent, de qua pauperum parte extat in hoc titulo mentio. Licet autem haec distributio summo consilio, & prudentia fuerit constituta, multorumque Conciliorum, & Patrum consensu comprobata, tamen jam hujusmodi decreta fuerunt contraria consuetudine abrogata, vixque in ulla Ecclesia reperitur haec quarta pars pauperibus alienis destinata.

In Partis II. Lib. II. Titulum XIX.

DE his expositis extat decretū Gregorii IX. in c. unic. de infantibus & languid. exposit. de quo infans expositus liberatur patria potestate sive a patre, sive ab alio sciente, aut consentiente ipso patre, fuerit expositus. Idem etiam statuit ipse Gregorius de servo, aut liberto, simul enim atque expositus fuerit a domino vel patrono, consequitur servus libertatem, & liberus ingenuitatem. Hoc ipsum decernit ipse Pont. si pater, aut dominus, aut patronus illis agrotantibus; ea, quae ad viatum pertinent, tribuere noluerit. Licet autem qui hos jam derelictos sovet, & alit, laude dignus sit, non tamen propterea jus ullum, ut patet ex eod. cap. in illorum personas sibi vendicat, sed liberi & sui juris efficiuntur.

In Partis II. Librum III.

CUM in duobus libris superioribus actum sit de Ecclesiis, & de Monasteriis, atque aliis locis piis, illud modo consentaneum videtur, ut de rebus ipsarum Ecclesiarum, tam de iis, quae ad alienos clericos, quam de aliis, quae quocumque modo ad Ecclesiam pertinent, hoc loco agatur. Quare in hoc libro ea omnia continentur, quae de beneficiis, & de aliis clericorum stipendiis in jure veteri reperiuntur. Præterea de decimis, quae ad eosdem commode sustendandos, & ad Ecclesiis ædificandas, & ornandas sunt constituta. Item de primitiis, & de aliis donis, quae a fidelibus solent Ecclesiis offerri, & denique de bonis omnibus ecclesiasticis hujus generis. Patet itaque haec disputatio latissime, & in multis titulos est distributa, multisque, & magnas habet difficultates. Deinde quia necesse est plerumque Ecclesia res vendi, locari, permutari, & alias emptione, aut aliis contractibus acquiri, ideo post disputationem de beneficiis, & de bonis ecclesiasticis, congruenter ultimo loco apponuntur ea, quae in veteribus synodis, & Pontificibus de contractibus sunt constituta.

Licet autem haec disputatio de beneficiis gravissima sit, tamen cum copiose de ea juris Pontificii Doctores agant, nihilque fere hoc loco dici possit, quod non sit sepiissime ab aliis dictum, sat erit, ea, quae occurabant, silentio modo prætermittere, ne satietatem afferam, si ea, quae jam ab aliis sunt eruditissime disputata, hoc loco inculcare velim.

In Partis II. Lib. III. Titulum VII.

QUAMVIS certum sit, beneficia a laicis conferri non posse, tamen olim hanc ob causam magna fuit inter Imperatores, & Romanos Pontifices contentio, nam cum Imperatores se beneficia tribuere posse afferent, ipsaque beneficia præsertim Episcopatus, & Abbatias in Germania re ipsa conferrent, Pontifices maximi, ut par erat, huic viciose consuetudini vehementer obstiterunt. Exorta sunt ex hac dissensione gravissima bella, schismata, & aliæ calamitates, quæ Rem pub. olim maxime vexarunt. Tandem cesserunt, ut æquum erat, Imperatores Pontificibus, paxque inter ipsos conciliata est, cum Calixtus II. Ecclesiam administraret. Et ut omittamus jam Imperatores, extat decretum quoddam concilii Toletani XII. in quo videtur fieri potestas diligendi Episcopis Hispaniarum ipsi regi, dummodo Archiepiscopus Toletanus eos tamquam dignos probaret. Hæc enim sunt verba concilii can. 6. *Licitum maneat deinceps Toletaro Pontifici quocumque Regalis potestas elegerit, & jam dicti Toletani Episcopi iudicium dignos esse probaverit in quibuslibet provinceis in præcedentium sedibus præficere præsules, & decedentibus Episcopis eligere successores: sic tamen, ut quisque ille fuerit ordinatus, post ordinacionis suæ tempus infra trium mensium spatium proprii metropolitani præsentiam visurus accedat, qualiter ejus auctoritate, vel disciplina instructus condigne suscepit sedis gubernacula teneat.* Hactenus concilium. Sed certe, si diligenter verba perpenduntur, illa electio potius erat nominatio quædam; eodem enim modo, cum olim plebs postulabat aliquem sibi Episcopum præfici, illa postulatio, sive nominatio populi in multis conciliis, & Pontificum Epistolis dicitur electio, ut in epistola 1. Syrici c. 10. & in concil. Aurelian. III. c. 3. & in Toletano IV. cap. 18. cum tamen plebs tantum postularet, & innueret, quem vellet esse Episcopum, & nequaquam eligeret. Itaque quemadmodum nunc etiam Hispaniarum reges solent Episcopos ex privilegio nominare, ita etiam apparebat ex eo concilio eamdem consuetudinem olim ibidem viguisse. Extitit item hæc consuetudo in Gallia, nam ut colligitur ex concilio Valentino Galliæ sub Lothario cap. 7. solebant ipsi reges plerumque Episcopos nominare. Hæc enim sunt ipsius concilii verba: *Si quando alicuius civitatis Episcopus vocacione domini discesserit a glorioissimo Principe supplicando posuletur, ut canonicam electionem clero, & populo ipsius civitatis permettere dignetur; & paulo post: Sed et si a servitio pii Principis nostri aliquis clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Episcopus, timore casto sollicite examinetur.* Hactenus concilium. Ex cujus verbis constat aliquando solitos fuisse reges ipsos Episcoporum electionem iis, ad quos jure spectabat, liberum permittere, aliquando vero solitos fuisse nominare sive commendare eos, quos constitui Episcopos desiderabant. Licet autem nonnulli reges, & Principes ex privilegio hac nostra ætate Episcopos nominare solerant, sed

sed nequaquam ipsi Episcopatus conserunt, immo liberum est Pontifici Maximo eos, quos ipsi nominarunt, omnino refutare. Itaque non est laicorum, quantumvis Principes sint, Episcopatus, aut alia beneficia tribuere, aut ipsos Episcopos de sua sede dimovere. Quamvis enim Imperatores olim hoc jus sibi injuste vindicaverint, saepe que soliti fuerint Episcopos deiicere, & alios in eorumdem locum substituere, ut patet ex Constantio, & ex Justiniano Imperatoribus, & ex aliis multis, quos brevitatis causa praetermitto, tamen abutebantur ipsi sine dubio sua potestate, & quæ jure non poterant, vi, & armis persæpe efficere solebant.

In Partis II. Lib. III. Titulum XVI.

Decimæ ad Clericorum sustentationem fuerunt præcipue constitutæ. Hæ olim in lege veteri erant jure divino præscriptæ, ut patet Levit. c. 27. *Omnis decima Terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt;* & infra, *Omnium Decimarum ovis, & bovis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino, & Malachiæ c. 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea.* At vero, cum lex vetus, quoad præcepta ceremonialia, & etiam judicialia cessaverit, sine dubio non habet modo apud nos vim hoc præceptum solvendi decimas, quatenus in lege veteri continetur, cum hoc præceptum tunc proprie ad

Vid. D. Th. 2. 2. q. 87. art. 1. in corp. judicialia pertineret. Itaque in decimis hæc duo considerari possumus. Alterum est, id quod spectat ad viatum, & vestitum eorum, qui sunt destinati ad cultum divinum, & hoc modo præceptum hoc est juris naturalis: & quemadmodum in lege veteri debebatur vietus ministris, ita etiam, immo majori ratione in lege nova, cum certum sit ministros legis novæ in rebus gravioribus versari. Alterum vero est, pars illa certa, quæ, ut dictum est, ex lege divina olim debebatur Ministris; et si ad hanc respicimus non est modo divina lege hæc decima pars, sed tantum lege ecclesiastica constituta. Itaque ut omnia paucis complectamus, vietus ministrorum lege naturæ debetur, sicutque hoc jus naturæ in Evangelio confirmatum, cum Christus ait, *Dignus est operarius mercede sua;* & D. Paulus I. ad Corinth. c. 9. *Quis, inquit, militat sine stipendiis umquam? aut quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit?* At vero pars, non lege divina, sed ecclesiastica tantum est præscripta. Hinc est, ut de solvendis decimis variae sint, & discrepantes consuetudines. Primum enim in multis provinciis non datur decima pars ministris, sed designatur illis vietus alio modo: in aliis autem provinciis, non datur tota decima pars, sed multo minor. Præterea, cum decimæ sint duplices, aliæ, quæ vocantur prædiales, & aliæ personales, sane hac nostra ætate personales vix in ulla regione saltem more antiquo dantur, cum tamen olim magnus fuerit illarum usus, ut patet ex Concil. Troslejanæ c. 6. & ex c. *Ad Apostolicæ,* de decim. & ex c. *Pastoralis*, eod. tit. Immò prædiales etiam in illis regionibus, quæ legem ecclesiasticam servant,

Tom. V.

raro ex omnibus fructibus præbentur, vix enim ex pomis, aut ex oleribus, aut ex aliis rebus ejus generis dari solent. Cum enim lex de solvenda parte decima sit tantum, ut dictum est, ab Ecclesia latâ, non eodem modo fuit ab omnibus recepta, neque eadem est omnium in ea servanda consuetudo. Ecclesia enim, ut pia mater, non solet hanc partem acerbe exigere, sed aliquando, præsertim cum infideles ad religionem Christianam se transferunt, dat operam ne illis molestiam exhibeat, eamque partem plerumque accipit, quam ipsi dare volunt, ut patet ex Epistola 4. Zachariæ Pont. Max. ad Bonifacium; cum enim Franci parce admodum ea, quæ necessaria erant, Ecclesiis, & ministris suppeditarent, jubet ipse Zacharias ab illis accipi id, quod tribuebant, & nihil amplius peti: *De censu,* inquit, *expetendo, eo quod impetrare a Francis ad reddendum Ecclesiis, vel Monasteriis non potuisti aliud, quam ut vertente anno ab unoquoque conjugio Servorum XII. decanii reddantur, & hoc gratias Deo, quia potuisti impetrare.* Item idem Zacharias in epist. 5. ad eundem Bonifacium loquens de Germanis, qui nuper religionem Christianam suscepserant, jubet item id accipere Bonifacium, quod ipsi Germani largiebantur, nulla facta decimaru[m] mentione: *De censu,* inquit, *Ecclesiæ, id est solidum de casata suscipe, & nullam habeas habitationem, dum ex eo poteris eleemosynam tribuere, ac in Christi pauperes parviri, & opus perficere sacrarum Ecclesiæ canonum instituta.* Hæc Zacharias. Ratio autem, cur Ecclesia tam benigne se gerere soleat, ea est, quam D. Thom. in 2. 2. q. 87. art. 5. in sol. 5. arg. *Attinet,* nimirum quia ipsa Ecclesia potius prospicit bonis spiritualibus, quam temporalibus, & ideo ne afferatur fortasse aliqua offensio Neophytis, qui ad religionem Christianam se transferunt, & ob hanc caussam illorum conversio aliqua ex parte impediatur, maluit ipsa Ecclesia ministros penitiam pati, quam occasionem ullam, etiam minimam recedendi ab ipsa religione, aut de ministris detrahendi Neophytis dare. Id autem probatur exemplo D. Pauli, quod item assertur a D. Thoma eodem loco, cuius verba hæc sunt: *Ideo Apostolus noluit uti potestate sibi a Domino tradita, ut scilicet acciperet stipendia viibus abiis, quibus Evangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Evangelio Christi.* Nec tamen peccabant illi, qui ei non subveniebant, alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Et similiiter laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent propter desuetudinem, vel propter aliquam alienam caussam. Hæc D. Thomas. Itaque ex ejus sententia cum onus solvendi decimas videatur impediare propagationem religionis Christianæ, posset Ecclesia Neophytis remittere hanc obligationem: immo Cajetanus ibidem censet, debere Neophytos ipsos hoc onere liberari, quia ministri Ecclesiæ, ut dictum est, majorem debent rationem habere ipsius religionis augendæ, & amplificandæ, quam sui vietus, & suæ utilitatis temporalis.

Aaaa

Ex

Ex his igitur omnibus aperte constat hanc decimorum legem ad ministrorum viatum, & ad Ecclesiarum ornatum, & cultum optime constitutam, non eadem modo ab omnibus Christianis, & in omnibus provinciis servari solitam, haec tenus fuisse, sed propter varias caussas, ipsa Ecclesia permittente, onissa decima parte, alios modos, aliasque consuetudines alendi ministros fuisse paulatim introductas.

Quamvis hic titulus longus sit, tamen praeter Canones, qui in eo, & in titulis proximis continentur, adhuc extant multa alia in jure novo, tum a Conciliis recentioribus, tum a Pontificibus Maximis constituta, in quibus varia decernuntur de decimis, & de oblatione, qua tenentur Christiani illas largiri, & de privilegiis, quae aliquibus sunt concessa, & de modo solvendi decimas, & de variis consuetudinibus, quae in aliarum solutione servari solent, & de aliis rebus ejus generis, de quibus & de tota hac disputatione de decimis extant tituli in Decretalibus, & in Sexto, & in Clementinis, ubi Doctores juris Pontificii copiose de decimis agunt. Sunt item multa in Concilio Tridentino, & in aliis conciliis, quae omnia de industria prætermittimus, quia non est hujus loci in tam longis disputationibus versari.

In Partis II. Lib. III. Titulum XXVI.

POstquam actum est de beneficiis, & de bonis Ecclesiarum propriis, ut de Decimis, de primis, de oblationibus, & de aliis hujusmodi, congruerter sequuntur tituli de iis, qui hujusmodi res custodire debent, & de earumdem rerum distributione, & conservatione, & etiam administracione, quae omnia continentur in hoc titulo, & in aliis, qui proxime sequuntur.

In Partis II. Lib. III. Titulum XXX.

HIC titulus, & tres alii, qui postea sequuntur, vetant res ecclesiasticas, praeterquam in casibus a jure permisis, alienari, aut injuste per vim, aut alio modo ab ullo homine occupari. Merito autem hoc loco collocantur, quia cum in superioribus titulis agatur de rebus Ecclesiae custodiendis, & conservandis, apte hi tituli de eisdem non alienandis non surripiendis cum illis conjunguntur.

In Partis II. Lib. III. Titulum XXXV.

HECEst ultima pars hujus libri, in qua extant tituli de contractibus. Jam autem in ipsius libri initio rationem reddimus, cur hoc loco agatur de contractibus. Quamvis autem alii contractus sint in jure praeter eos, qui in hoc libro continentur, tamen de his præcipue est mentio in jure veteri, & ideo præcipue in hac collectione collocantur. Sunt autem initium a titulo de pacis, quia hic latissime patet.

In Partis II. Lib. III. Titulum XXXVIII.

COllocatur hoc loco hic titulus de præscriptionibus, quia licet contractus non sit, tamen per legitimam præscriptionem, quemadmodum per contractus dominia rerum acquiruntur, præfertim cum methodus hujus collectionis ejusmodi sit, ut nullus locus aptior huic titulo reperiri possit.

In Partis II. Librum IV.

CUM haec tenus in hac secunda parte actum sit de Ecclesiis, & Xenodochiis, aliisque

locis piis, & non solum de ædificiis, verum etiam de bonis, & redditibus ipsorum, reliquum est nunc, ut de aliis rebus, quae in Ecclesiis sunt, & ad Ecclesiæ pertinent, suscipiatur disputatio; & quoniam Ecclesiæ olim, ut constat ex hoc eodem libro tit. 3. non poterant sine reliquiis sanctorum consecrari, item quia eadem imaginibus etiam sanctorum plerumque decorari solebant, merito nunc sequitur hic liber de reliquiis, & imaginibus. Cum enim hæc secunda pars sit de rebus Ecclesiæ, & initium illius sit sumptum ab ipsis in Ecclesiis, & earum ædificiis, consentaneum modo est ea, quae spectant in primis ad earumdem Ecclesiæ dignitatem, & ornatum, in medium propinquere. Hanc igitur ob causam collocatur hoc loco hic liber XVI. de reliquiis, & imaginibus, & postea liber XVII. de vestibus, & vasibus sacris, quae olim & modo tum ad missæ sacrificium, tum etiam ad decus, & ornatum ipsarum Ecclesiæ, & ministrorum fuerunt ab ipsis jam priscis temporibus magna ex parte constituta. Sed postea de vestibus, & vasibus sacris nunc agendum est de reliquiis, & imaginibus. Hæc autem disputatio latissime patet, multique viri pietate, & eruditione præstantes olim contra Iconomachos antiquos, & multi etiam contra hos recentiores doctissime scripserunt, quos longum esset modo percensere. Quamvis autem malta occurrant de ipsis hæresis origine, & de illius auctoribus, de argumentisque, & rationibus, quibus olim hæc hæresis fuit oppugnata, & nodo oppugnatur, sed cum de his rebus multa apud viros doctissimos extent, satis erit ea tantum, quae in singulis titulis videbuntur explicatione indigere, more solito breviter attingere.

Constat autem hic liber velut duabus partibus, prior est de reliquiis sanctorum, altera vero de cruce, & imaginibus. In priore autem apparet, quantum semper Ecclesia a priscis illis temporibus venerationem sanctis, ipsorumque reliquiis adhibuerit ex variis titulis, qui in hoc libro continentur, qui tituli sane sunt velut argumenta quedam firmissima, quibus hæc hæresis labefactatur. Non solum enim generatione agitur de reliquiarum veneratione, verum etiam adduntur alii tituli de variis modis, quibus Ecclesia olim sanctos solita fuit honorare. Primum enim tempora non poterant ædificari, neque altaria erigi sine reliquiis sanctorum, de qua Ecclesiæ consuetudo agitur in tit. III. Habebatur præterea maximus honor sepulchris, & cœmeteriis sanctorum, ut patet ex tit. IV.

Item celebrabantur illorum dies festi magna Christianorum laetitia, ut appareat ex tit. V. Accendebarunt etiam lampades, & alia lumina in sepulchris ipsorum, ut constat ex tit. VI. Solebant quoque Christiani non solum ex viciniis, verum etiam ex longe remotis regionibus ad eorum reliquias venerandas se conferre, & de hac consuetudine extat titulus VII. His præterea, quae in ejusmodi titulis continentur, possumus adjungere varia ornamentorum genera, quae Christiani omni tempore, & omni ætate soliti sunt sanctis offerre. Item tempora magnificissima, quae eisdem

eisdem fuerunt adificata, multaque cœnobia, & Xenodochia, quæ ab eisdem nomen habent. Omitto modo hymnos, & psalmos, & alia ejus generis, quibus illorum natales celebrabantur, quæ omnia cum antiquissima sint, & perpetua Ecclesia consuetudine confirmata, nescio quid hæreticis nostræ ætatis in mentem venerit, ut non solum ab illa discedant, verum etiam, quod horribile est, comburant, & proliuant sanctorum reliquias, & tamquam res aliquas viles contemnunt, & gravissimis ignominia impudenter afficiant.

Altera pars hujus libri est de cruce, & de imaginibus, quæ in quattuor titulos distributa est. Primus est de cruce, alii vero de usu, & veneratione imagiaum, & de modo qui in illis venerandis servandus est.

In Partis II. Lib. IV. Titulum I.

Quoniam hæretici, qui negant cultum esse adhibendum reliquiis sanctorum, iidem etiam existimant sanctos non tangi cura rerum nostrarum, neque orare pro nobis, atque ita irrident illos, qui preces sanctis adhibent, rogantque eos, ut peccatorum veniam, aut corporis sanitatem, aut quid simile a Deo impetrant, idcirco primo loco hic titulus collocatur, in quo multorum sanctorum Patrum, & synodorum auctoritate constat, quantum olim Ecclesia, & Patres omnes tribuerint intercessioni sanctissimæ Virginis, & aliorum sanctorum. Extant alia promedium infinita, sed quia ea brevitatis caussa afferre non licet, addemus id tantum, quod in Concil. Trident. sess. 25. cautum est contra hæreticos nostræ ætatis de hac intercessione, & invocatione sanctorum: *Mandat*, inquit, *sancta synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi muris, curamque sustinentibus, ut juxta catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ usum a primævis Christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, & sacrorum conciliorum decreta, in primis de sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos unacum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum, atque uile esse suppliciter eos invocare & ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Illos vero, qui negant sanctos æternæ felicitate in celo fruentes, invocando esse, aut qui afferunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis oreant, invocationem esse idolatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei, & hominum Jesu Christi, vel stultum esse in celo regnantibus voce, vel mente supplicare, inapie sentire.* Hæc tenus concilium de intercessione sanctorum. Sequuntur postea alia de veneratione reliquiarum, & imaginum sanctorum, sed ea non sunt hujus tituli.

In Partis II. Lib. IV. Titulum II.

Longum esset ea omnia, quæ de reliquia-

rum veneratione occurrunt, in medium proferre. Extant enim permulta tam apud Concilia, & Patres antiquos, tum etiam apud historicos veteres, & fide dignos, constatque Imperatores, & Reges potentissimos summam persæpe curam, & diligentiam adhibuisse in illis exornandis, dedisseque operam, ut reliquæ sanctorum, quæ in aliis regionibus erant, ad Urbes, in quibus ipsi commorabantur, magno apparatu, & celebritate transferrentur. Fitque magna mentio de hujusmodi sanctorum translationibus a plerisque antiquissimis auctoriibus. Poterant multa exempla, & decreta, prætere ea quæ sunt in hoc titulo, commemorari, sed satis erit id, quod Concilium Trident. sess. 25. statuit, in medium proferre: *Sanctorum*, ait synodus, *quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur, ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta & fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrande causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino dannandos esse, prout iam eos damnavit, & nunc etiam dannat Ecclesia.* Hæc tenus Concilium.

Illud autem observandum est, neminem tamquam sanctum, licet miraculis illustretur, posse certe omnino hac nostra ætate coli, nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ accedit, ut patet ex decreto Alexandri III. in c. 1. de reliq. & vener. sanct. qui loquens de quodam homine iam mortuo, qui indigne tamquam sanctus colebatur, hæc verba profert: *Illum ergo non presumatis de cetero colere, cum etiam, si per eum miracula fierent, non licet vobis ipsum pro sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.*

Post hunc titulum sequebatur hoc loco alias de miraculis sanctorum, qui licet ad hunc titulum maxime pertinere videretur, tamen quia illorum numerus tantus est, ut nullo modo possit paucis comprehendendi, ideo omissus est. Sunt autem permulta, ut de aliis libris taceam, in actis Concilii Nicæni II. in quo accurate de reliquiarum, & imaginum veneratione agitur, multaque miracula, præsertim in quarta, & in quinta actione in medium proferuntur.

In Partis II. Lib. IV. Titulum XVII.

In hac re certa, & usu Ecclesiæ perpetuo comprobata, nihil occurrit, quod obici possit, quantumvis hæretici imaginae detestantur, ab illearumque veneratione abhorreat, præsertim cum de imaginum cultu habita fuerit Synodus Nicæna II. generalis, cuius multa fragmenta extant in hoc titulo, & in aliis, qui in hoc libro continentur, communique omnium Patrum consensu fuerit statutum, venerationem esse sanctorum imaginibus adhibendam. Cuius Concilii decreto accessit etiam Hadriani I. Pontificis Maximi confirmatio. Ipsi enim non solum in Epistola, quæ in dicta actione ejusdem synodi circumfer-

tur, censet imagines esse venerandas, verum etiam postea in Epistola ad Carolum Magnum Synodum ipsam, quæ a nonnullis oppugnabatur, defendit, & eamdem sua auctoritate confirmat. Præter Synodum autem hanc Nicenam II. fuerunt jam antea alia antiquiores a Pontificibus illius ætatis collectæ, ut a Gregorio II. & a Stephano III. in quibus ipsi Pontifices venerationem sanctorum imaginibus tribuendam esse decreverunt. Extat denique decretum Concilii Trident. sess. 25. quo perpetua hæc Ecclesiæ consuetudo, communis tot synodorum, & Patrum consensu olim comprobata, ibidem etiam aperte confirmatur, & utilitas, quæ ex imaginum usu percipitur, dilucide, & aperte explicatur, cujus hæc sunt verba: *Imagines porro, inquit synodus, Christi deiparae Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint collenda, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figura, veluti olim fiebat a gentilibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honor, qui eis exhibetur, referunt ad prototypa, quæ illam repræsentant, ita ut per imagines, quas osculum, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus Christum adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicenæ synodi decretis contra imaginum oppugnatores est fanicum: *Illud vero diligenter doceant Episcopi per historias mysteriorum nostræ redempcionis picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis.* Tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonet populus beneficiorum, & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem cotendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit. Hæc tenus Concilium.

Sed dicit fortasse quispiam D. Gregorium variis in locis adoracioni imaginum repugnare, nam lib. VII. Reg. ep. 107. ad Serenū Episc. Massiliensem, qui imagines quasdam fugerat, hec scribit de imaginibus: *Tua fraternitas, & illas servare, & ab illarum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & literarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime peccaret.* Hæc ibi Gregorius. Idem item lib. 9. epist. 9. ad eundem Serenum de eadem re loquens hæc profert: *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent confregeris, & quidem quia eas adorari vetuisses omnino*

laudamus, fregisse vero reprehendimus &c. Et paulo post: *Frangi vero non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum &c.* Item deinceps: *Si quis imagines facere voluerit, minime prohibe: adorare vero imagines omnibus modis devita: sed hoc sollicite fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipient, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.* Hæc S. Gregorius. Sed certe, si illius mens diligenter perpendicularitur, nequam adversatur his, quæ de imaginum veneratione dicta sunt, ut patet ex Hadriano in epist. ad Carolum Magnum c. ult. de qua supra mentionem fecimus, in qua hæc D. Gregorii verba optime sine dubio explicantur. Imago enim, ut constat inter omnes, bifariam potest considerari, uno modo, ut proponit nobis prototypum, & refertur ad ipsum, & gerit revera similitudinem ipsius; & hoc modo non negat D. Gregorius habendam esse imagini venerationem, cum in ipso actu prototypum sine dubio colatur, & honoretur. Quod ipsem D. Gregorius aperte in eodem loco inuit, si diligenter perpendicularitur verba illa, quæ supra proposita sunt. Ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipient, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur. Et apertius idem Gregorius lib. 7. Regist. epist. 53. ad Secundinum loquens de imagine Christi: *Mos quidem, ait, non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimus, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur.* Hæc D. Gregorius, qui ut constat, manifeste ait prototypum in ipsa imagine honorari. Alio autem modo possimus considerare imaginem non habita ratione prototypi, sed ut constat ex tali materia, & eis praedita his, aut illis coloribus, & lineamentis, denique ut est quædam pictura pulchra, aut deformis, nulla habita ratione ipsius rei, cuius similitudinem refert, & hoc modo videntur intelligenda verba D. Gregorii, quæ supra posita sunt. Neque enim ipse negat imagini, quatenus imago est, venerationem esse tribuendam, imo lib. 7. Regist. ep. 5. ad Januarium Episc. Calaritanum loquens de quodam Petro, qui a Judæorum secta ad Christianam Religionem se transtulerat, & in synagoga Judæorum inviris Judæis crucem, & imaginem sanctissimæ Virginis reposuerat, jubet tam crucem, quam imaginem inde honorifice auferri, utiturque his verbis: *His hortamur affatibus, ut sublata exinde cum ea, qua dignum est, veneratione imagine, atque cruce, debentis, quod violenter ablatum est, reformare.* Hæc D. Gregorius, ex quibus aperte appetit ipsum non negare venerationem Sanctorum imaginibus esse adhibendam. Itaque ut omnia in pauca conferamus, si consideramus imaginem aliquius Sancti, ut imago est, certe cum hoc modo sua natura referatur ad id, cujus est imago, etiam ex sententia D. Gregorii debetur eidem venerationi prototypi caussa. Possimus autem hæc omnia, quæ dicta

Etia sunt exemplis illustrare. Fingamus etiam cogitatione in tabula depictam esse imaginem aliquius Sancti, ponamus etiam eum, qui picturam videt, non existimare imaginem illam esse hominis Sancti, sed alicujus philosophi antiqui, aut alterius hominis profani, sane is, qui picturam intuetur, licet eam perspiciat, & illius pulchritudine fortasse delectetur, non tamen habebit ipsi honorem, usque dum intelligat esse imaginem Sancti. Itaque pictura illa si respicimus ad colores, & lineamenta eadem est, at vero si consideramus eam, ut imaginem Sancti, illam tunc eam ob causam honoramus, quia est imago Sancti, atque ita ratione prototypi: si autem eamdem consideramus, ut imaginem Pythagoris, aut Aristotelis, tunc quia prototypo, quod mente comprehendimus, non debetur honos, neque ipsi imaginis venerationem adhibemus. Sumamus itaque aliquam tabulam, in qua depictum sit sacrificium Iphygeniae, fingamus autem eum, qui tabulam contemplatur, putare in ea exprimi aliquius Virginis Sanctae martyrum, certe quādū credit imaginem illam esse Virginis, quæ pro Christo sanguinem, & vitam profudit, veneratur eam, quia concipit animo sanctam esse, & martyrum pati, atque ita ratione prototypi. At vero simul atque percipit illam esse Iphygeniam Agamennonis filiam, licet in tabula iidem sint colores, eademque lineamenta, tamen quia prototypum quod mente comprehendit jam est aliud, cui non debetur honos, abstinet tunc necessario a veneratione illius. Patet igitur jam, totam imaginis venerationem pendere ex prototypo, & referri ad prototypum, ut est communis omnium sententia, a qua D. Gregorius, ut dictum est, nequaquam discedit:

Præterea dicet aliquis abitare huic imaginum venerationi Concilium Eliber. c. 36. cuius hæc sunt verba: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Hactenus Synodus. Sed certe jam variis modis viri eruditissimi hac nostra ætate hunc canonem ita explicarunt, ut nullo modo repugnare videatur.

Primum autem illud observandum est, hoc Concilium esse antiquissimum, fuit enim habitum ante Nicænum, quo tempore Idolatræ totis viribus religionem christianam oppugnabant, ipsorumque Christianos ad suum cultum attrahere conabantur. Cum igitur gentiles statuas adorarent, & Christiani hunc cultum illis obiicerent, & hanc ob causam in illos invehementur, ideo hoc Concilium, non quod imaginum usum damnaret, sed ne gentiles, si imagines apud Christianos viderent, fortasse crederent, eas a Christianis ita coli, ut ipsi colebant deorum statuas, prohibuit tunc fideles usu imaginum. Quare decretum illud non fuit perpetuum, sed brevi temporis spatio, ut credibile est, in illa tantum provincia servatum.

Deinde illis temporibus tanto odio Imperatores religionem nostram prosequabantur, ut non solum Christianos acerrimis tormentis excruciantos necarent, verum etiam libros sacros comburi, ipsaque tempora funditus everti juberent. Ne igitur

si imagines extarent in templis, ludibrio essent, & irrisio ipsi gentilibus, jubet ipsa Synodus illas non depingi, immo ob hanc causam non damnat omnino illarum usum, sed prohibet tantum eas in Ecclesiis collocari, nimis propter periculum quod inminebat: & quia hoc periculum ejus erat, si pingebantur in parietibus, neque enim facile poterant inde avelli; idcirco in primis prohibet imagines in parietibus depingi. Omitto multa alia de hoc canone, quæ a viris eruditissimis afferuntur.

Sunt item aliqui, qui opponunt huic imaginum usui, & venerationi epistolam quamdam D. Epiphanius, sed solvit aperte hunc nodum amplissimus Cardinalis Baronius Tomo tertio Annalium, quare consulto, quæ occurcebant, silentio prætermitto.

In Parte II. Lib. IV. Titulum XVIII.

In hoc titulo sunt multa decreta de prompta ex Concilio Nicæno II. in quibus Synodus aperte sentit venerationem esse adhibendam imaginibus. Sed illud negotium facit: negat enim ipsum Concilium, tribuendam esse illis quatenus sint imagines Christi summam illam adorationem, quam latriam appellamus. Idem esset de cruce, item de lancea, de clavis, & de aliis rebus, quas, quia Christi corpus attigerunt, venerari solemus. Hæc enim a Patribus in definitione profertur: *Definivimus cum omni diligentia, & cura venerandas esse sanctas imagines &c. aedicandas, & in templis Sancti Dei collocandas, habendasque tum in parietibus, & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis, maxime autem imaginem Domini, & Dei Servatoris nostri Jesu Christi, deinde intemeratae Dominae nostræ Deiparae, venerandorum Angelorum, & omnium deinde Sanctorum virorum, quo scilicet per hanc imaginum picturam in'pectionem omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant, illisque salutationem, & honorarium adorationem exhibeant, non secundum fidem nostram veram latriam, quæ solum divinæ naturæ competit, sed quemadmodum typo venerande, & vivificantis crucis, & Sanctis Evangeliiis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reverenter accedimus.* Hæc Synodus, ex cuius verbis apparet de ipsius Concilii sententia, latriam veram soli naturæ divinæ convenire, aperteque in ultimis verbis, quæ proposita sunt, separant Patres latriam a crucis figura. Præterea sunt alia multa in eadem Synodo, præcipue in Epistola quadam ad Imperatores, & in Epistola Hadriani ad Carolum Magnum, ex quibus idem colligitur, quæ quia extant in hoc titulo, & in eo legi possunt, fastidii vitandi causa modo prætermitto. Itaque apparet ex hac Synodo generali, Hadriani Pontificis Maximi auctoritate confirmata, non esse ulli imagini, aut signo Crucis adorationem latræ tribuendam.

Sed obstat ex altera parte ratio firmissima, qua probant Theologi, cruci, & imagini Christi latræ adorationem convenire. Imago enim, ut imago est, tota refertur ad prototypum: quare si res diligenter perpenditur, sine dubio ille honor est

pro-

prototypi, & adoratio illa suo pondere fertur in prototypum. Si igitur loquimur de imagine Christi, certe cum ipso Christo debetur adoratio latræ, item ejusdem imagini, quia ipsius imaginis adoratio, est item Christi adoratio, tribuenda erit adoratio latræ. Præterea adoratio triplex est, nempe latræ, duliz, & hyperduliz, sed hæc adoratio imaginis Christi non est secundi, neque tertii modi, quod perspicuum est, erit igitur imagini Christi adhibenda adoratio latræ. Hæc sunt, quæ occurunt præcipue pro hac parte.

Est itaque hæc controversia difficilis. Si tamen de re tanta sententiam meam proferre licet, fortasse posset hæc controversia constitui, si ipsam latræ adorationem attente consideramus. Nam in hujusmodi adoratione, quemadmodum & in aliis, videntur esse quidam gradus, & quædam latitudo. Si enim loquimur de adorazione duliz, certum est, licet omnes sanctorum imagines ad hoc genus pertineant, tamen majorem nos honorem habere imaginis Sancti Joannis Baptiste, aut Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, quam alicui Sancto, cuius nomen vix nobis notum est, immo ipsa Ecclesia non parem honorem omnibus tribuit, sed alios alii anteponit: constatque Christianos ipsos, cum venerantur Sanctorum reliquias, licet ipsæ reliquæ unius, & ejusdem Sancti sint, plus tamen tribuere membris, quam vestibus, & plus capiti, quam digito, vel denti. Itaque sine dubio, ut ex his pater, in adorazione dulæ videtur esse illa latitudo, & illi gradus, quos supra attigimus. Eodem item modo poterimus fortasse, ut hunc nodum dissolvamus, hujusmodi latitudinem, & hujusmodi gradus in adoratione latræ collocare. Statuamus enim illud tamquam certum, Christi imaginem esse adorandam adoratione latræ, nonne licet demus hoc esse certum, si ipse Christus adesset, major illi honos haberetur quam ipsius imaginis? Deinde nonne Christiani majorem honorem habent Eucharistiae, quam cruci alicui depictæ? & quia de cruce loquimur, nonne Christiani magis venerari solent crucem, cui ipse Christus fuit suffixus, quam eam, quæ expresa est in papiro, aut in membrana? Itaque quamvis tribuatur latræ imaginis Christi, non videtur tamen hæc adoratio hujusmodi esse, ut nullam habeat varietatem, continetur enim certis quibusdam finibus, intra quos sunt dispare gradus. His positis videntur hæc contraria sententiæ ita conciliari posse, ut Patres Concilij Nicæni, qui afferunt veram latriam tantum tribuendam esse Deo, loquantur de summo, & supremo gradu latræ, hancque tantum appellant veram latriam, ideoque negant illam adhibendam esse cruci, aut imagini Christi: contra autem eorum sententia, qui dicunt adorationem latræ etiam Cruci, & imagini Christi convenire, intelligatur de tota latitudine, & de omnibus gradibus latræ. Hoc autem modo hæc omnia, quæ alias habent sene difficultatem, poterunt optimè inter se congruere, & conciliari. Certa enim erit Concilij sententia, quæ tribuit tantum Deo veram latriam, hoc est supremum gradum latræ: certa item erit aliorum sententia, qui affirmant latræ adorationem Cruci, & imagini Christi tri-

buendam esse; nam Synodus loquitur de cultu illo summo quo major esse non potest. Alii autem loquuntur fortasse de alio gradu inferiore, sed intra idem adorationis genus constituto. Et certi, cum constat crucem & Christi imaginem adorandum esse, non potest alia adoratio ipsi congruere, præterquam latræ. Hæc de hujusmodi disputacione, quæ ita a me proferuntur, ut nihil temere affirmare velim, sed omnia Ecclesiæ, & Pontificis Maximi judicio summittam.

In Parris II. Librum V.

JAM initio superioris libri reddita est ratio, cur hic liber hoc loco collocetur, & post librum de imaginibus, statim liber de vestibus, & vasis sacris sequatur. Illud autem observandum est sacramrum vestium, & vasorum usum antiquissimum esse, nam in actis veterum Pontificum Maximorum magna de illis est mentio, ut patet ex Damaso in Stephano, cujus hæc sunt verba: *Stephanus constituit Sacerdotes, Levitas vestibus sacras in usu quotidiano non usi, nisi in Ecclesia tantum.* Idem apparet ex eodem Damaso in Eutychiano, apud quem est mentio de Dalmatica & de Collobio. Item de eisdem Dalmaticis est mentio in actis Silvestri, & in Synodo Romana sub eodem Silvestro 284. Episcopor. c. 6. & apud D. Gregorium lib. VII. reg. epist. 109. al. 111. Præterea de Orario, quæ vulgo dicitur stola, meminit Concilii Laodicænū c. 22. & 23. & Conc. Toletanum IV. c. 27. & 39. Item de Alba Concil. Carthag. IV. c. 1. & Tolet. IV. c. 27. & de Planeta, sive Casula Conc. Tolet. IV. c. 2. De corporali, loquitur Synodus Romana sub Silvestro, ubi illud cavitetur, ut ex lino tantum fiat: de pallis extat mentio in multis decretis, quale illud est S. Gregorii in Syn. Rom. c. 4. & Concil. Arvern. c. 3. & 5. meminit idem de illis Damasus in Sotere, & Anastasius in Bonifacio. Omitto modo multa, quæ sunt apud Clementem in epist. 2. quæ longum esset percensere. Omitto etiam Concilia recentiora, neque enim nostri munera est omnia afferre, sed tantum antiquiora, ut apparat quam vetus sit harum vestium usus, & item vasorum, quorum sine dubio par est antiquitas. Sed omisis jam vestibus, certe de calicibus, & patenis, & de aliis vasis sæpe est mentio in actis Pontificum antiquorum, ut in vita Urbani, & Zephyrini, & Xysti, & in Epist. 2. Clementis, & præcipue in actis S. Silvestri, in quibus permulta sunt de Calicibus, & patenis, quibus Constantinus Magnus ornavit Ecclesias, quas construxit. Extant præterea multa de eisdem vasibus in actis Pontificum, qui post Silvestrum secuti sunt. Extant etiam frequentissima Conciliorum decreta, ut patet ex Carthaginæ. IV. c. 5. Herden. c. 1. Tolet. IV. c. 27.

Præter calices autem, & patenas, erant alia permulta vasorum genera in templis, quæ variis usibus erant destinata, ut Phara, Delphini, Lychni, quæ erant varia Lampadum, & lucernarum genera, item Scippi, Hydræ & alia id generis, de quibus sæpius ne meminerunt historici, qui res gestas Pontificum Romanorum scribunt.

In hoc libro per pauca sunt, quæ negotium facilius videantur, tantum extant vocabula quædam

dam obscura, quæ indigent explicatione; sed de his in ipsiusmet decretis, in quibus extant, commodius agetur.

In Partis II. Libri V. Titulos IV. & V.

INTER hos duos titulos non multum videtur interesse, possent ambo conjungi. Utrique autem hæc inscriptio videtur convenire: „Nemo vasa, aut vestes ad suum usum domesticum transferat, aut vendat, aut alio quocumque modo alienare audeat.“ Sunt in his titulis aliqua decreta, quæ repetuntur in libro de rebus Ecclesiæ. Tit. *de alienatione rerum Ecclesiasticarum*, sed ille titulus est generalis, hic autem est peculiaris, & proprius hujus libri, in quo agitur de vestibus, & vasis sacris. Et ut jam alias dictum est, in hac collectione sæpe repetuntur iidem canones, neque hoc existimatur absurdum.

In Partis II. Lib. V. Titulum VIII.

PRÆTER decreta, quæ sunt in hoc libro, extat item titulus in Decretalibus de auctorit. & usu palli, in quo illud cavetur, ut Archiepiscopus in qualibet Ecclesia suæ Provinciæ uti possit pallio, & extra suam Provinciam in nulla, ut patet ex c. 1. & ex c. *Ex tuarum*, & ex c. *Cum sit*. eod. tit. Item nec Archiepiscopus suum pallium commodare valeat, sed illud semper penes se retineat, & cum illo sepeliatur, c. 2. eod. tit. Illud præterea additur Archiepiscopum non debere semper cum pallio missam celebrare, sed certis tantum diebus c. *Ad honorem*, & c. ult. eod. tit. & denique, quod per vulgatum est, illud etiam decernitur ipso pallio conferri nomen Archiepiscopi, & plenitudinem officii Pontificalis c. *Nisi specialis*, eod. tit.

In Partis II. Librum VI.

HAETenus actum est de Ecclesiis, & de partibus, atque redditibus ipsarum, item de reliquis, de vasis, & de cæteris ornamentis ipsarum, nunc jam sequuntur libri de aliis rebus maximi momenti, quibus Christiani ad Deum cognoscendum, & amandum, & ad illius præcepta servanda in primis allicitur. Sequitur itaque nunc liber de verbi Dei prædicatione, & deinde altera de oratione, & lectione. Quamvis autem hic liber sit de re gravissima, & quæ valde ad populi Christiani utilitatem pertinet, tamen brevis est, quia Patres in conciliis antiquis non multa statuerunt de hoc munere prædicandi. Cum enim hoc proprium esset Episcorum, summaque ipsi diligentia, & cura suo officio satisfacerent, vix admonitione ulla egere videbantur. At vero postea, tum propter hominum vitia, quæ latissime patent, tum etiam propter aliquorum concionatorum inscitiam, & propter periculum, quod ab hereticis impendebat, & propter alias multo de hæc re tom a concilio Lateranensi sub Julio, & Leone, & a Tridentino, quam a variis Pontificibus, & synodis provincialibus sapienter sunt constituta, quæ longum esset modo percensere.

In Partis II. Lib. VII. Titulum II.

DE his quæ ad hunc titulum pertinent, extant multa in Concilio Tridentino variis in locis, ut in Sess. V. cap. 2. in quo Patres hæc de concionatoribus dicunt: *Plebes*, inquiunt,

sibi commissas, pro sua, & eorum capacitate pascant salutaribus verbis docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis virtus, quæ est declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant, &c. Extant præterea nonnulla in eodem concilio sess. 24. cap. 4. de reform. & cap. 7. in quo datur negotium Episcopis, & Parochis, ut cum sacramenta administrant, illorum vim, & usum pro suscipientium captu explicent. Deinde in fine capituli de Parochis loquens, hæc verba profert: *Inter missarum solemnia, aut divinorum celebrationem sacra eloquia, & salutis manita eadem vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus questionibus, inferere, atque eos in lege Domini erudire studeant.* Haec tenus concilium. Præterea in concil. Lateranen. generali sub Julio, & Leone Sess. XL. extant multa de hac re.

In Partis II. Lib. VI. Titulum V.

HIS, quæ sunt in hoc titulo, possumus addere alia decreta, quæ sunt in conciliis recentioribus, & in primis in Tridentino Sess. V. c. 2. de reform. in quo hæc verba sunt: *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesiæ, quocumque modo obtinent per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate salutaribus verbis &c.* Præterea idem Concil. Sess. XXIV. c. 4. jubet Episcopos per se, aut si ipsi non potuerint, per alios, quos ad prædicationis munus delegeriat habere conciones; in aliis autem Ecclesiis per parochos, sive iis impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos, *saltem*, inquit synodus, *omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis*: tempore autem jejuniorum, quadragesimæ, & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras scripturas, divinamque legem annuntient, & alias quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint. Moneantque Episcopus populum diligenter teneri unumquemque parochia suæ interesse, ubi commode id fieri potest ad audiendum verbum Dei.

In Partis II. Lib. VI. Titulum VII.

PRÆTER decreta, quæ continentur in hoc titulo, sunt etiam multa in aliis synodis, & præseri in Trident. Sess. XXIV. cap. 3. de reformat. ubi synodus præscribit multa de modo, quem tenere debent Episcopi, & reliqui visitatores: *Visitationum*, inquit, *omnium istarum præcipiūs sit scopus, sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis hereticis inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera prout locus, tempus, & occasio feret, en visitantium prudensia ad fidelium fructum constituere.* Hæc Con-

Concil. Trident. Præterea Innocentius IV. in c. I. §. Sane de censibus, item de visitationibus hæc commemorat: *Sane hujusmodi impensurus officium, proposito verbo Dei, quærat de vita, & conversatione ministrantium in Ecclesiis, & locis aliis divino cultui deputatis, ac cæteris, quæ ad officium ipsum spectant absque coactione, & exactione qualibet juramenti ad ipsorum emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera juxta datam sibi a Deo prudentiam diligenter intendens.*

In Partis II. Lib. VI. Tit. VIII.

Præter canones, qui sunt in titulo, qui hoc loco citatur, apparet item hoc munus esse Episcopi præcipuum ex Concil. Trident. sess. V. c. 2. de reform. *Quia vero, inquit Concilium, Christianæ reipub. non minus necessaria est prædicatio Evangelii, quam lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus, statuit, & decrevit eadem sancta synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiastarum Prelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. Idem afferit eadem synodus sess. XXIV. c. 4. de reform. Prædicationis, inquit, munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens sancta synodus, quo frequentius possit, ad fidelium salutem emereri, mandat, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument & sacras scripturas divinamque legem annuntient.*

In Partis II. Lib. VI. Titulum X.

Certum est Diaconos non posse in templis populum docere, nisi Episcopus ipsis faciat potestatem, immo neque presbyteri sæculares, exceptis parochis, quorum munus est docere illos, qui ad suam parochiam pertinent. Neque vero presbyteri regulares possunt sine hujusmodi Episcopi facultate saltem extra tempora suarum religionum, neque etiam in ipsis nisi servata forma, quam Concil. Trident. præscribit sess. V. c. 2. de reform. cuius hæc verba sunt: *Regulares cujuscumque ordinis, nisi a suis superioribus de vita & moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in Ecclesiis suorum ordinum, prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopo præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipient. In Ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, si ne qua in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possunt. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant. Addit autem idem Concilium sess. XXIV. c. 4. de reform. hæc verba: Nullus sæcularis, sive regularis etiam in Ecclesiis suorum ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat. Haec tenus Concilium. Sunt etiam de eadem re alia decreta, quæ infra tit. XII. continentur.*

In Partis II. Lib. VI. Titulum XII.

Quae ad explicationem hujus tituli attinent, jam dicta sunt in tit. X.

In Partis II. Lib. VI. Titulum XIII.

LIcet munus proprium sit Episcoporum, ut in aliis locis dictum est, concionari, & docere populum per se ipsos, tamen quia persæpe aut morbo, aut negotiis impediuntur, aut fortasse quamvis sint docti, & ad Episcopatum administrandum maxime idonei, tamen non sunt apti, ut plerumque fieri solet, ad habendas conciones, propterea sapienter cautum est, ut possint alios deligere, qui in hoc munere versentur, & præter canones antiquos, qui in hoc titulo sunt, extant multa de hac re in Concil. Trident. sess. V. c. 2. de reform. §. Si vero contigerit, & sess. 24. c. 4.

In Partis II. Lib. VI. Titulum XIV.

HOC idem etiam cavetur decretis aliorum Conciliorum, & Pontificum, ut patet ex c. Prohibeas, & ex c. Super specula, de Magistris. Item ex Clem. I. eod. tit. & ex Concil. Trident. sess. V. c. 1. de reform. in quo multa sunt de lectoribus constituendis tum in Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus, quam in Collegiatis, & etiam in Regularibus, atque item de stipendiis eisdem lectoribus designandis. Agitur autem de eorumdem lectorum examine, & approbatione eod. cap. 1. in fine.

In Partis II. Lib. VI. Titulum XV.

Sunt etiam alii præter eos, qui hoc loco commemorantur, quibus non licet ex decreto Concilii Tridentini sess. V. cap. 2. de reform. habere conciones, nimurum Regulares, qui extra claustra vivunt, de quibus hæc a synodo profertur: *Caveant præterea Episcopi, ne aliqui vel eorum, qui cum sint nomine regulares extra claustra tamen, & obedientiam suarum religionum vivunt, vel presbyterorum, nisi ipsis novi sint & moribus, atque doctrina probati, & jam privilegiorum quorumlibet prætextu in sua Civitate, vel diœcesi prædicare permittant, donec ab ipsis Episcopis super ea re sancta sedes Apostolica consulatur, a qua privilegia hujusmodi, nisi tacita veritate, & expresso mendacio ab indignis extorqueri verisimile non est. Hæc Concilium Trident. His item adjungit eodem loco ipsa synodus quæstores eleemosynarum de quibus hæc decernit: Quæstores vero eleemosynarii, qui etiam quæstuarii vulgo dicuntur, eijuscumque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare presumant; & contra facientes, ab Episcopis, & Ordinariis locorum, privilegiis quibuscumque non obstantibus, opportunis remedios omnino arceantur. Præterea laici quoque prohibentur habere conciones, non solum præsentibus Clericis, quod in Concil. Carthag. IV. decernitur, sed absolute ut patet ex c. Cum ex injuncto, de hereticis, & ex c. Sicut in una, eod. tit. non solum autem non possunt habere conciones, sed neque disputare de fiducia publice, vel privatim; c. 2. §. Inhibemus, de heret. in 6.*

In Partis II. Lib. VI. Titulum XVI.

Quonam pacto se gerere debeat Episcopus,

si ipse prædicator errores, vel scandala disseminat, vel si hæreses aperte prædicat, explicat Concil. Trident. sess. V. c. 2. de reform. in quo hæc statuit, si vero (quod absit) prædicator errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdit. Quod si hæreses prædicaverit contra eum, secundum juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiam si prædicator ipse generali, vel speciali privilegio exemplum se esse prætenderet. Quo casu Episcopus auctoritate apostolica, tamquam sedis Apostolicae delegatus procedat.

In Partis II. Lib. VII. Tit. XIV.

CUM oratio, & lectio ad continendos in officio Christianos maximam afferant utilitatem, multaque de his apud Patres antiquos extet mentio, merito de his in hoc libro agitur. Quoniā autē in titulis, qui in ipso libro initio collocantur omnia magna ex parte sunt aperta, & perspicua, ideo nulla iis adjungitur observatio.

In Partis II. Lib. VII. Tit. XV.

NON est hoc, quod in titulo dicitur, ita intelligendum, ac si omnes Clerici, & Monachi quotquot olim erant eumdem ordinem in celebrandis divinis officiis servare consueverint: si ne dubio enim fuit apud antiquos magna varietas diversique ritus, & cæremoniae. Extantque multa antiquorum monumenta, ex quibus variæ, & multiplices Ecclesiarum consuetudines aperte colliguntur. Est autem observandum hanc dissimilitudinem aliquando magnam esse, & non solum in rebus levibus, verum etiam magna ex parte in toto precandi genere, in ipsisque ritibus reperiri discrimen, ut patet ex officiis Ecclesiæ græcæ, & latinaræ, in quibus tum lingua, tum cantus, tum fere omnes ecclesiasticae cæremoniae ita inter se dissident, ut præter res ipsas, quæ proprie ad mysteria nostræ religionis spectant, vix in ulla alia convenire videantur. Aliquando vero dissimilitudo non est magni momenti, ut videmus plerumque in nonnullis ritibus, & hymnis, & antiphonis, & in psalmorum numero differre monachos a Clericis, & etiam ipsos monachos inter se. His ita positis, certum est hunc titulum non esse intelligendum de priore illo modo, quem proposuimus, neque enim id statui oportebat, cum semper in una provincia, immo apud unam nationem, quantumvis illa multas incolat provincias, soliti sint Metropolitanæ, & reliqui Episcopi eumdem ordinem in celebrandis divinis officiis tenere. Qamvis enim aliquando fieri soleat, ut populi diversarum linguarum, & nationum sint in una, & eadem provincia, vel civitate, & quisque suis ritibus utatur, ut appareat ex Innocent. III. in c. *Quoniam de officiis ordinis*. & ex variis exemplis, quæ in medium afferri possunt, sed nos loquimur de iis, qui sunt ejusdem nationis, & utuntur eadem lingua, & sermone. Potius itaque videtur hic titulus pertinere ad posteriorem modum. Illud itaque statuitur, ut intra eamdem provinciam serventur iidem ritus, & iidem mores omni ex parte in celebratione divinorum officiorum quoad fieri possit, ut patet ex Tom. V.

Conc. Venet. c. 15. & ex Epaun. c. 27. & ex Gérard. c. 1. Immo licet id decernatur, nihilominus aliqua permittitur varietas, nam longiores solebant esse preces Monachorum, quam clericorum sæcularium, ut appareat ex Concil. Tolet. XI. c. 3. in quo illud cavetur, ut Abbates, & Monachi publica divina officia, ut vesperas, matutinum, missas eo more celebrent, qui in Ecclesia Metropolitanâ servatur; alia autem officia, quæ propria sunt Monachorum, more suæ religionis recitent, & proferant.

In Partis II. Lib. VII. Titulum XVI.

Quantum Pontifices Romani studium, & diligentiam adhibuerint, ut hoc officium in provincias longinas propagaretur, appareat ex Gregorio VII. qui ab Hispaniæ Regibus, & Episcopis vehementer contendit, ut reliquo officio, quo antea utebantur, Romanum acciperent. Patet etiam ex Innocentio I. in Epist. ad Decentium Episcop. Eugubinum, qui etsi non agat de officio proprio, sed de cæremoniis, quæ in administratione Sacramentorum, & in aliis rebus servat Ecclesia Romana, tamen ita loquitur, ut etiam precandi normam, & alia omnia, quæ graviora sunt, comprehendere videatur, acriterque reprehendit eos Episcopos, qui in rebus magni momenti audent ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine discedere. Nam ut alia multa omittant loquens de Episcopis Europæ, & Africæ, hæc verba profert: *Oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, aqua eos principium accepisse, non dubium est;* & paulo post: *Si qui a Romana Ecclesia institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, ut scire valeamus, qui sunt, qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ, quam Romanae, existimant consuetudinem esse servandam.* Hactenus Innocentius, qui postea in eadem Epistola multa de cæremoniis, quæ ad Missæ sacrificium spectant, & de aliis item ritibus disputat, de quibus fuerat interrogatus a Decentio Episcopo Eugubino.

In Partis II. Lib. VII. Titulum XVII.

Occurrebant multa hoc loco de cantu ecclesiastico, & de ipsius antiquitate, quia accuratissime jam ab aliis fuerunt commemorata, supervacaneum esset illa modo percensere. Illud tantum proferam Ecclesiam semper cantu severiore usam fuisse, & a numeris levibus, & lascivis, ut par est, abhorruisse. Et ut antiqua omittam, extant gravissima Pontificum recentiorum decreta, in quibus hujusmodi cantus, qui levitatem praeseruent, ab Ecclesia omnino reniciuntur, ut patet ex Clem. I. de celebr. Missar. & ex Extravagant. *Docta de vita, & honest. Cleric.* ubi multa sunt de cantu Ecclesiastico, & de modo, quem cantores tenere debent. At vero licet graviores cantus ab Ecclesia tantum fuerint probati olim, & modo probentur, tamen non desunt multæ dissimilitudines, & varietates, quæ ab Ecclesia nequaquam improbantur.

In Partis II. Lib. VII. Tit. XX.

De hymno trifagio magna est mentio apud antiquos, extantque multa de ejus origine, & initio in hoc tit. præsertim in cap. 1. Sunt autem

B b b

hæc

hæc ipsius hymni verba: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis.* Ha-
etens hymnus, Addidit huic hymno Trisagio Pe-
trus Fullo Episcopus Antiochenus hæc verba:
Qui crucifixus es pro nobis. Itaque canebat ipse
hymnum hoc modo: *Sanctus Deus, Sanctus for-
tis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis
miserere nobis.* Quoniam autem in his verbis, quæ
addebat Petrus Fullo latebat hæresis pereciosissi-
ma, invecchi fuerunt in ipsum acerbissime varii
Episcopi, & præter cæteros Felix IV. Pontifex
Max. qui duas Epistolas ad eum scripsit, ex qui-
bus alteram in Synodo dedit, tandemque eum Pe-
trum, cum resipiscere nollet, damnavit. Est igitur
magna mentio hujus Petri, circumferunturque
multæ Episcoporum Epistolæ contra ipsum & i-
psiis hæresim. Extatque titulus *contra eamdem*
supra in lib. XI. tit.....

In Partis II. Lib. VII. Tit. XXI.

Hunc versum jussit Damasus in fine cuius-
cumque Psalmi proferri: non autem fuit i-
pse primus illius auctor, jam enim diu antea Gre-
ci eo utebantur. Et quamvis apud Græcos varietas
aliqua esset in hac verborum prolatione, ut patet
ex D. Basilio ad Amphilochium, tamen latini
semper usi sunt eo more, quem modo etiam tenet
Ecclesia. In Concil. Tolet. IV. Patres commoti
verbis illis, quæ sunt in psalm. 28. *Afferte Domino
gloriam, & honorem, & item verbis illis, quæ
sunt in Apocalypsi c. 5. Honor, & gloria Deo
nostro sedenti in throno,* statuerunt, ut adderetur
honor huic versui, & hoc modo proferretur: *Glo-
ria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;*
ut patet ex c. 12. & 14. ejusdem Concil. At vero
licet hæc consuetudo servata fuerit ea aetate, ut
verisimile est, in Hispania, tamen Ecclesia Ro-
mana semper pristinum morem retinuit, qui non
solum in aliis Regionibus, verum etiam in eadem
Hispania jam diu servatur.

In Partis II. Lib. VII. Titulum XXII.

In hoc libro post disputationem de oratione, se-
quitur titulus de lectione, quia oratio, & le-
ctione videntur inter se finitimæ, solentque viri
sancti, & pii utramque conjungere. Quoniam
autem non omnes libri sunt utiles, neque digni,
qui legantur, ideo agitur primum iis, qui sunt
omnium optimi, & præstantissimi, nimirum de
libris sacris, deinde de reliquis, quos probat Eccle-
sia, licet par non sit illorum auctoritas, & ad ex-
tremum de Apocryphis.

In Partis II. Lib. VII. Titulum XXIII.

De libris sacris fuit olim nonnulla varietas,
neque enim omnes de illorum numero
ideam senserunt, ut patet ex decretis, quæ in hoc
titulo sunt, in quibus non semper iidem libri sacri
numerantur, & item ex multis antiquis Patribus,
ex quibus alii plures, alii pauciores libros in sa-
crorum numero reponunt. Vid. Gregorium Na-
zianzen, in carminibus, Amphilochium Iconii
Epilcopum, D. Hieronymum, qui multa de hac
varietate affert. Sunt item multa apud Eusebium
in historia Ecclesiastica, aguntque copiose de
hac re, nimirum de libris, aut de partibus libro-
rum, de quibus olim aliqui dubitarunt, nonnulli

recentiores, nimirum Canus, lib. 2. de locis theo-
logicis. Alphonsus Castr. lib. 1. de hæret. c. 2. &
lib. 13. verb. *Scriptura*, Xystus Senensis in bi-
blioth. Quamvis autem apud antiquos, ut appa-
ret ex his, quæ dicta sunt, fuerit de numero li-
brorum controversia, tamen modo Concil. Tri-
dent. decreto constituta omnino est hujusmodi
disceptatio; nam in Sess. 4. aperte continentur
libri omnes sacri tam veteris, quam novi testa-
menti, de quibus jam nullo modo dubitare licet.

In Partis II. Lib. VII. Titulum XXIV.

In hoc ultimo titulo agitur de alijs libris, quos
probat, aut comprobat Ecclesia. Enumera-
tur autem multi tam ex his, quam ex illis in c. 1.
hujus tit. quod depromptum est ex Gelasio in sy-
nodo LXX. Episcoporum. Ibi enim commemoran-
tur varii libri, quos amplectitur Ecclesia, & in
primis quatuor concilia generalia antiqua, quæ
tantum usque ad Gelasii aetatem fuerunt habita.
His adduntur multi veterum Patrum libri, quos
ibidem Gelasius, & synodus illa suscepit. Præter
eos autem, qui ibidem probantur, sunt etiam
permulti alii, quos constat ab Ecclesia suscepitos.
Primum enim extiterunt post Gelasium multa
concilia generalia, quæ fuerunt Pontificum Ma-
ximorum auctoritate confirmata; item alia con-
cilia, quæ licet inter generalia non habeantur,
tamen ipsimet Pontifices non solum ea congrega-
runt, verum etiam eisdem præfuerunt. Sunt
etiam variae ipsorum Pontificum epistolæ, va-
riaque decreta, in quibus multæ, gravissimæque
difficultates explicantur. Extant item nonnullæ
collectiones juris Pontificii Sedis Apostolice jussu
factæ. His accedunt multæ extravagantes, & alia
Romanorum Pontificum monumenta, quæ longum
esset percenſere. Neque enim modo ea o-
mnia persequimur, quæ Ecclesia recipit, sed
tantum ea, quæ omnibus in promptu sunt in
medium proponimus. Atque hæc de libris, quos
Ecclesia recipit.

Sequitur aliud caput de reliquis libris. Et certe
perspicuitatis gratia possumus illos in duas partes
distribuere. Alii enim neque probantur, neque
improbantur ab Ecclesia, sed sunt velut medii
inter eos, quos recipit, de quibus egimus, & in-
ter eos, quos reiicit, qui appellantur apocryphi.
De his, quos medios nominamus, est aliqua men-
tio apud eundem Gelasium, commemorat enim
quædam scripta de inventione Crucis Domini-
cæ, & alia de inventione capitis S. Joannis Ba-
ptistæ, & neque illa inter apocrypha numerat,
neque eisdem auctoritatem tribuit: Item, inquit,
*scripta de inventione Crucis Dominicæ, & alia
scripta de inventione Joannis Baptiste novel-
lae quædam relationes sunt, & nonnulli eas ca-
tholici legunt.* Sed cum hæc ad Catholicorum
manus pervenerit B. Pauli præcedat sententia:
Omnia probate, quod bonum est, tenete. Hæc
Gelasius in Synodo. Ad hoc autem genus me-
dium magna ex parte libri pertinent, qui eorum
permisso, qui potestatem facere possunt, in lu-
cem edi solent. Neque enim Ecclesia hujusmodi
libros approbat eo modo, qui supra propositus
est, neque ipsius auctoris rationes, & argumenta-
tam-

tamquam certa confirmat, neque quidquam omnino firmum, & ratum esse decernit. Tantum permittit, sive non prohibet, quominus liber ille edi possit. Dat itaque negotium ei, qui ad hoc munus delectus est, ut videat, num quidquam in libro sit, quod aut fidei catholicæ, aut bonis moribus repugnet, et si nihil est hujusmodi, tunc patitur Ecclesia, ut dictum est, librum in lucem proferri. Solentque magna ex parte verba illa in libri fronte proponi *Superiorum permisso*, quibus id, quod modo diximus, significari videtur.

Alii tandem libri sunt apocryphi. Illud autem hoc loco observandum est, latius patere libros illos, quos Gelasius hoc loco apocryphos vocat, quam hi, qui hac nostra aetate prohiberi solent. Nam quantum ex Gelasii verbis colligere possumus, duæ sunt apud ipsum species librorum, qui apocryphi nominantur: alii enim sunt ab hereticis auctoribus conscripti, continentque hereses, & alia multa absurdæ, quæ aliena sunt ab Ecclesiæ doctrina, cujusmodi sunt ea, quæ a Martione, Basilide, & aliis antiquis hereticis fuerunt scripta. Alii vero libri ibidem apocryphi nominantur, qui non videntur omnino prohibiti, & passim modo in manibus habentur, cujusmodi sunt libri Cassiani, Laetantii Firmiani, & alii multi, qui ibidem numerantur, & inter apocryphos reponuntur. Itaque hi, quamvis apocryphi appellantur, non tamen hujusmodi sunt ut Christiani illorum lectione prohibeantur, videnturque Gelasius, & Synodus non ita eos reiicere, ut legi non possint, sed tantum significare, hos adhuc minoris esse auctoritatis, quam sunt illi, quos supra ad medium genus diximus pertinere, & accedere quodammodo ad illorum numerum, qui omni ex parte prohibentur, & ratio est, quia magna ex parte continent aliquid ab Ecclesiæ doctrina alienum, aut nonnulla absurdæ, ut apparet ex eodem Cassiano, & Laetantio.

Præter hoc autem Gelasii decretum, in quo permulti libri, ut patet ex contextu, reiiciuntur ab Ecclesia, jam multis ante annis idem mos viguit, scimusque libros hereticorum etiam legibus Imperatorum fuisse rejectos, & damnatos, pœnamque gravissimam etiam capitibus iis, qui legere, aut domi retinere auderent, esse constitutam, ut constat ex Edictis multorum veterum Imperato-

Vid. edit. Theodor. & Valent. Imp. rum, ut Constantini Magni, Theodosii minoris, Martiani, & Valentiniani, qui libros ARII, Ne-

Vid. item ep. ad Pallad. storii, Eutychetis comburi, gravissimaque supplicia de iis, qui eos legere audeant, sumi jubent.

apud Synod. Chalc. act. 3. in fin. Constat etiam Romanos Pontifices in eo maxime elaborasse, ut hereticorum libri de medio tolerentur, ut apparet ex S. Leone epist. 91. ad Turibium Asturicen. Episcop. & ex Pontific. in Symmacho, & in Hormisda, & ex aliis Pontificibus, quos enumerare longum esset.

In Partis H. Librum VIII.

Quoniam dies festi præcipue constituti sunt, ut Christiani eo tempore a rebus terrenis cogitationes abducent, seque ad divinas transferrent, Deoque tunc in primis cultum adhiberent, consentaneum est ea, quæ de Paschate, & aliis festis Patres olim in Conciliis decreverunt, in me-

dium modo proferri. Et quia multa extant de Paschate in hoc libro, quæ elegant explicatione, oportet rem altius a capite repetere, ut ea omnia, quæ dubitationem habent, melius intelligantur. De Paschatis celebratione olim magna fuit etiam inter homines virtute, & eruditione præstantes, atque diuturna dissensio. Primum enim prisci illi Romani Pontifices, qui Apostolorum ætati succederunt, non quartodecimo die lunæ primi mensis Judæorum more, sed semper die Dominico sanctum Pascha celebrandum esse docuerunt. Id autem tum traditione Apostolica confirmabant, tum etiam maxime consentaneum esse dicebant, cum Christus die Dominico resurrexerit, eodem die a Christianis omnibus illius resurrectionem colli. Hunc morem celebrandi Pascha non solum Romani Pontifices, verum etiam Episcopi fere omnes, Asianis exceptis, sequebantur. Contra autem Asiani, quorum Princeps Polycarpus, deinde Polycrates Ephesi Episcopus fuit, Judæorum consuetudinem tenentes, quartum decimum diem Paschatis celebrationi dicebant, leque ita a majoribus accepisse, hancque consuetudinem a multis Sanctissimis Episcopis, & quod majus est a D. Joanne Apostolo, & Evangelista, & a Philippo diacono sibi fuisse traditam affirmabant. Extat de hac re epistola Polycratis apud Eusebium Cæsariensem Episcopum (a) in qua multos viros clarissimos commemorat, a quibus se hanc rationem celebrandi Pascha didicisse gloriatur. Quamvis autem Asiani, ut dictum est, a reliquis discederent, pax tamen a principio omnibus erat, seque mutua benevolentia complectebantur: itaque temporibus Xysti, Telephori, Hygini, Pii, Aniceti, Soteris, & Eleutherii Romanorum Pontificium Itali & alii omnes Episcopi cum Asianis communicabant. Polycarpusque cum Romanam venit, ut scribit Irenæus cum Aniceto (b) qui eo tempore, Ecclesiam Romanam administrabat, conjunctissime vixit. At vero cum in locum Eleutherii Pontificis Maximi Victor successisset, Imperatore L. Commodo M. F. Antonino tantam hæc quæstio in Christianam Rempab. discordiam induxit, ut Victor ipse Asianos omnes, qui contraria sententiam tenebant, communione privaverit. Hujus controversia constituta causa multa Concilia habita fuerunt, ipseque in primis Victor Synodum XIV. Episcoporum convocavit, in qua omnes, ut superiores Pontifices decreverant a XIV. ad XXI. diem lunæ primi mensis die dominico Pascha celebrandum esse definierunt. Item eodem tempore, & ejusdem quæstionis causa fuerunt Synodi habitæ in multis Provinciis, ut in Palestina, in Ponto, in Græcia, in Gallia, de quibus mentio est apud graves auctores (c), & in his autem omnibus Ecclesiæ Romanæ morem Episcopi ipsi summo omnium consensu comprebarunt. Eadem sententia multis post annis in Concilio Nicæno fuit confirmata, & quamquam non extet hoc decretum inter XX. Canones, qui vulgo circumferuntur, est tamen illius mentio apud Theodoretum (d), & alios, qui epistolam Concilii Nicæni afferunt, in qua Patres idem decreverunt, & apud Synodum Antiochenam cap. 1. ubi

(a) Lib. 5. c. 23.

(b) In Epist. ad Victor. que est apud Euseb. lib. 5. c. 24. & apud Nic. ceph. Chalc. lib. 4. c. 39.

(c) Eu-
feb. lib. 5. c.
22. 23. Ni-
ceph. lib. 4. c.
36. Synod.
(d) Theod.
lib. 1. cap. 9.
Ruff. lib. 10.
hist. Eccles.
c. 7. Niceph.
lib. 8. c. 24.
in quo Epi-
stola Constan-
tini afferit.

Synodus ait, cautum id esse Nicæni Concilii auctoritate, quam definitionem & ipsa Antiochena Synodus amplectitur, & iis, qui parere recusant, poenas gravissimas constituit. Eamdem sententiam de celebratione Paschatis Synodus Romana secuta fuit, & ut omnia tandem paucis complestar, Ecclesia tota comprobavit. Illud enim certum est morem celebrandi Pascha, quem modo tenet Ecclesia, multis Conciliis, & Pontificum Maximorum decretis fuisse confirmatum.

Quoniam autem non omnes Episcopi ea scientia prædicti erant, ut possent tempus celebrandi Pascha cognoscere, datum fuit negotium Patriarchæ Alexandrino consulendi viros Astronomiæ peritos, quorum magna tunc copia erat in Ægypto, ut cum ex illis lunæ cursum primi Mensis teneret, inde celebrandi Pascha tempus agnosceret. Erat itaque munus Episcopi Alexandrini Pontificem Maximum certiorem facere, ut constat ex D. Leone epist. 62. ad Martianum Augustum, cuius initium est: *Tam multis documentis, in quo hæc verba sunt: Studuere Sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes: quoniam apud Ægyptios hujus suppurationis, antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam, qui annis singulis dies prædictæ solemnitatibus eveniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, ut huius scripti ad longinquiores Ecclesiæ judicium generaliter perveniret.* Hic tenus D. Leo. Sunt item alia multa apud eundem Leonem de Paschate, & de Theophilo Alexandrino Episcopo, qui diem certum celebrandi Pascha intra spatiu[m] cunctum annorum scriptum reliquit, & de dubitatione, quam eidem Leon[u]m hujusmodi tabulae, quas Theophilus fecerat, attulerunt, de quibus omnibus agit D. Leo, & extant illius Epistolæ, quas de his rebus scripsit ad Mariani Augustum (a), ad Eudoxiam Augustam (b), ad Julianum Episcopum (c), & ad Episcopos Galliæ (d) & Hispaniæ. Extat item Epistola Paschalis Episcopi Lilybitani (e) qui fuit Legatus D. Leonis in Concil. Chalcedonensi ad eundem Leonem. Apparet itaque manus fuisse Alexandrini Episcopi Pontificem.

(d) Epist. Maximum de tempore celebrandi Paschatis certiore[m] facere. Ipse autem Summus Pontifex Pri-mates, & Metropolitanos, & aliquando alias etiam Episcopos solebat de eadem solemnitate commonefacere, ut patet ex Epistola 93. ejusdem Leonis, & ex Epistola Xf. Innocent. & ex epist. 1. Virgilii c. 5. Deinde vero cum Autumni tempore Synodus habebatur, ibi Episcopos Paschatis dies nuntiabatura Metropolitanu[m], ut constat ex Concil. Carthag. III. c. 1. & ex Concil. Brac. II. c. 9. Aut si aliqui Episcopi non intererant Synodo, mittebant Nuntios, & a Primate, vel a Metropolitanu[m] diem exquirebant, ut appareat ex Concil. Caesaraug. III. c. 2. & ex Antisiodoren. c. 2. aut contra Metropolitanus nuntios ad Episcopos premittebant. Si autem occurrebat aliqua difficultas, consulebant Metropolitanu[m] Pontificem Maximum, ut est in Concil. Aurel. IV. c. 1. Postquam autem diem certum Episcopi noverant, aut ipsi, aut presbyteri in feriis Natalis Christi in nonnullis Ecclesiis, ut cavetur can. 9. Concil. II. Brac. in aliis autem Ecclesiis, in feriis Epiphaniae proponebant ipsi populo, ut constat ex Aurel. IV. c. 1. & ex Antisiodoren. c. 2. Præterea est observandum, multa olim fuisse propria, aut fere propria hujus festi, tunc enim tantum, & in feriis Pentecostes cathecumeni baptizabantur, tum etiam in Albis Paschalibus, hoc est post octo dies solebant Virgines consecrari. Item ut lætitie significationem Christiani darent, nullum erat Paschali tempore jejuniunum. Ad extremum eodem tempore nullus se prosternebat orandi causa, sed omnes stabant; cū adhibebant preces, ut eo modo resurrectionem significarent. Hæc omnia variis Conciliorum decretis probari possunt, sed quia jam in titulis hujus libri afferuntur, ea silentio pretermitto. Atque hæc occurunt de Paschate, & de titulis, quæ in hac disputatione continentur.

In Partis II. Lib. VIII. Titulum XVI.

Praeter illa, quæ sunt in hoc tit. de solemnitatibus, & festis diebus, sunt item multa in jure recentiore, nimirum in decretalibus tit. de feriis, præsertim c. ult. de reliq. & vener. sanct. in 6. & clem. unic. de reliq. & vener. sanct. in qua de institutione diei festi Corporis Christi agitur. His præterea alii Pontifices alios dies festos addiderunt.

In Partis II. Lib. VIII. Titulum XIX.

SUPRA extat titulus XI. de dignitate diei Dominicæ, & de reverentia, quæ ipsi debetur. In hoc autem titulo sunt nonnulli canones, qui etiam ad eundem diem dominicum videntur pertinere, ut canon primus, secundus, & alii. Ne autem quispiam existinet, inepte hoc loco collatos fuisse, cum ille titulus XI. propriè sit de die dominico, illud animadvertisendum est, in eo agi ut dictum est, de dignitate illius diei, & de reverentia, quæ ipsi debetur; in hoc autem de rebus serviliis, quæ eodem die, & aliis festis diebus prohibentur. Cum igitur non solum in diebus dominicis, sed etiam in aliis diebus hæc opera servilia prohibeantur, cumque aliquando in uno, & eodem decreto tum de diebus dominicis, tum de aliis festis mentio fiat, merito sane hujusmodi decreta, quæ his omnibus diebus communia sunt, in eodem titulo collocantur. Num autem opera servilia, & judicia ita prohibeantur, ut numquam licite fieri valeant, an vero aliqua, præsertim, cum instant necessitas, permitti possint, item quæ sunt opera servilia, quæ proprio prohibentur, non est hujus loci disputare. Agunt de his copiose Doctores theologi præsertim, qui summas scribunt, ut Cajetanus, Silvester, Navarrus, & alii.

In Partis II. Librum IX.

CUM de jejunis, & abstinentia multa extenta in jure veteri, consentaneum est, ut ad alios libros, qui de rebus propositi sunt, etiam hunc de re maximi ponderis, & quæ ad placandum Deum hominibus iratum, multum plerumque valere solet, nimirum de abstinentia, & de jejunis adjungamus. Illud autem statim a principio occurrit, magnum quod attinet ad jejunia internos & antiquos esse dilcrimen. Primum enim antiqui fasti prius jejunabant, & cibum prope noctem capiebant.

bant. Et ut omittam Græcos, qui hac abstinentia virtute maxime præstiterunt, apud Latinos in nonnullis Provinciis plura erant jejunia, & diligentissime servabantur. Neque vero apud omnes Nationes in Europa eadem fuerunt jejunia; apud Gallos enim, qui plurimum olim pietate excellerunt, nonnulla jejunia erant propria, ut apparet ex Concil. Matiscon. c. 9. ubi jubet synodus feriam II. IV. VI. jejunari a die festo S. Martini usque ad Christi Natalem. Item Romani soliti fuerunt Adventus tempore jejunare, ut patet ex c. 2. de obler. jejun. Immo priscis illis temporibus, ut constat ex D. Augustino epist. 86. ad Casulanum, mos erat, ut ter singulis hebdomadis jejunarent, excepto illo tempore, quod interest inter Pascha, & Pentecosten. Sunt itaque duo jejuniorum genera, alia generalia, quæ omnibus Christianis indicuntur, ut jejunium quadragesimæ, & quatuor temporum, & reliqua, de quibus est mentio in tit. de observatione jejuniorum, & in aliis locis. Alia vero propria, & peculiaria unius, aut alterius Provinciæ, quæ tantum homines, qui eas incolunt, coguntur observare.

Inter ea, quæ generalia sunt omnium Christianorum, Principem locum obtinet quadragesima, cuius antiquitus tanta est, ut cum canones antiquissimi de illa mentionem faciant, semper de ipsa loquantur tamquā de jejunio jā antea constituto. Longum esset modo commemorare Canones omnes, in quibus est mentio de quadragesima, & de variis rebus, quæ ad ejus observationem videntur pertinere, & præterea esset supervacaneum, cum extent in titulis, qui sunt in hoc libro, illos modo repeterem. De numero autem dierum est controversia, nam licet apud latinos quadragesima revera ex quadraginta diebus constet, apud Græcos tamen non constat ex tot diebus. Ipsi enim non solum non jejunabant Dominico die, quod commune est omnibus Christianis, sed neque sabbato, excepta vigilia Paschatis, affirmabantque non licere eo die jejunare, ut patet ex Concil. Trull. c. 55. Confirmabantque suam sententiam Apost. c. 64. quam tamen opinionem Ecclesia latina semper improbavit, ut patet ex consuetudine antiquorum, quæ semper viguit, & ex decreto Innocent. epist. 1. c. 4. Concil. Agath. c. 12. Aurel. IV. c. 2. Pauciores itaque dies hac de causa Græci jejunabant, quam Latini, licet neque Latini priscis illis temporibus initium jejunandi sumerent ab eo tempore, a quo nos incipimus: constabat enim quadragesima tantum ex 36. diebus, quod probare possumus ex Nicol. ad Consult. Bulgar. c. 9. ubi eam decimam anni partē vocat, & ex Concil. Tro. c. 6. Patet autē ex Damaso in Telesphoro, si tamen libellus ille est Damasi, & ab ipso Telesphoro fuisse additum hebdomada in unam, quamvis hoc novum onus, ut apparet ex ejusmodi Telesphori epistola Clericis fuerit impositum, sed cum non fuisset id usū receptum, etiam post ipsum Telesphorum reperitur mentio sex tantum hebdomadarum. Præterea si respicimus ad officium divinum, quo Romana Ecclesia uititur tempore quadragesimæ, perspicuum est, initium illius sumi ab ipso secundæ heb-

domadæ principio, ac si prima hebdomada ad quadragesimam non pertineat. Item Gelasius epist. 1. c. 13. mentionem faciens de temporibus, quibus Clerici solent sacris initiari, ait, *initio quadragesimæ ordines solere conferri, cum tamen secunda hebdomada conferantur.* Gregorius etiam II. (a) ait, *ordinationes presbyterorum, O' Diaconorum ingressu quadragesimæ celebrari.* (a) Epist. 1. ad Clerum Thuringiæ.

Neque obstare videtur nomen quadragesimæ, totum enim illud tempus sex hebdomadarum revera quadraginta, immo duos, & quadraginta dies continet, ideoque merito quadragesima appellatur, licet non jejunentur dies Dominicæ, quia id Ecclesiæ lege prohibetur. Præterea licet loquamur de diebus tantum, quibus jejunium præcipitur, merito quadragesima appellatur, cum enim numerus 36. non longe absit a 40. non mirum est, si nomem accepit ab ipso. Hæc itaque fuit antiquorum confuetudo, quæ merito postea fuit immutata, & addita quatuor illa jejunia primæ hebdomadæ, ut Christiani revera quadraginta dies jejunarent, cum hic numerus, ut omniam modo jejunium Heliæ, in jejunio Christi fuerit consecratus.

Adeo autem antiqui illi quadragesimæ tempore suas omnes cogitationes ad res divinas transferre conabantur, ut a negotiis aliis, si quantum commode poterant, abducerent. Cessabant itaque tempore quadragesimæ caussæ, & judicia, ut apparet ex Nicol. ad Consult. Bulgar. c. 45. Concil. Meldens. c. 76. Concil. Tribur. c. 35. Præterea nec nuptias, nec convivìa celebrabant, ut est apud Nicol. ad Consult. Bulgar. c. 48. Concil. Laod. c. 52. Mart. Brach. c. 48. Nec Cives eo tempore in Villis habitabant, sed ad Urbes, & oppida se transferebant, ut commodius officiis divinis interesse possent. Concil. Aurel. I. c. 25. al. 27. Cæsaraug. I. c. 2. Vacabant Christiani in primis quadragesimæ tempore orationi, sumebant sape Eucharistiæ, ut apparet ex Nicolao ad Consult. Bulgar. c. 9. conjungebant item cum jejunio eleemosynam, quod omnibus jejunis commune erat, ut constat ex Concil. Tribur. c. 35. & ex Theodulpho ad presbyteros Aurelianens. c. 38. & 39. Præter hæc omnia, quæ dicta sunt de quadragesima, illud fuit proprium Græcorum, ut toto eo tempore sacrum non facerent, exceptis diebus Dominicis, & Sabbatis, Laod. c. 49. & Trull. c. 52. Itaque aliis diebus servabant eundem morem, quem tenet Ecclesia Romana in uno die paralceves, quo passio, & mors Christi celebratur. Ratio autem, cur apud Græcos hæc consuetudo introducta fuit, ea est, si Theodozio Bal samoni credimus, quia dies illi jejuniorum destinati erant luctui, & tristitia. Missæ autem sacrificium lætitiam, & gaudium videtur afferre. Eamdem etiam ob causam non celebrabant iidem Græci ipsis quadragesimæ diebus martyrum dies, neque faciebant ullam eorum commemorationem, exceptis iisdem Dominicis, & Sabbatis, ut patet ex Concil. Laod. c. 51. & ex Mart. Brach. c. 48. sed Ecclesia Latina licet permiserit Græcis suas consuetudines servare, satius tamen esse duxit, ut etiam in quadragesima quotidie Missa

Missa celebraretur, consentaneumque esse existimat, ut aliquorum Sanctorum insignium dies natales agerentur. Quamvis certe, quod attinet ad dies festos Sanctorum, probabile est eamdem consuetudinem priscis illis temporibus apud Latinos viguisse, quod apparet ex Concil. Tolet. X. c. 1, in quo Patres alterunt nihil de solemnitatibus sanctorum agi in quadragesima. Et etiam videtur probari posse ex usu antiquo Ecclesiae, tantum enim solebant priscis illis temporibus martyrum Natales celebrari, & tamen si Calendarium Romanum perpendimus, vix toto illo tempore, quo communiter quadragesima jejunia soleant esse, mentio est martyrum. Fateor ibi non nullos sanctos contineri, sed apparet posterioribus temporibus fuisse additos, cum jam Ecclesia incepit non solum martyrum, verum etiam aliorum Sanctorum ferias agere, qui vitae integritate, & aliis virtutibus plurimum praestiterunt. Atque haec de quadragesima.

De jejunio item quatuor temporum est magna mentio apud anticos, ut apud Gelas. epist. 1. c. 13. Greg. II. epist. 3. ad Clerum Turingie. Nicol. ad Consult. Bulgar. c. 4. Gerund. c. 2. Dicitur autem hoc jejunium institutum a Calisto I. ut afferit Damasus. De aliis etiam jejunis meminit idem Nicol. ad Consult. Bulgar. c. 4. & Innocent. III. c. 1. & 2. de observ. jejun. In his autem & in omnibus jejunis tria haec olim observabantur. Primum enim capiebant die jejunii semel tantum cibum, deinde non capiebant illumini post horam nonam, qua de causa non dicebantur prandere, sed canare. Praeterea erat quidem ciborum delectus, neque enim carnibus, neque ovis, neque aliis rebus ejusmodi vescebantur. Ex his tribus rebus, quae olim erant jejunii propria, ultima tantum, quod attinet ad carnium abstinentiam, integra restat; reliqua vero duæ consuetudine fuerunt magna ex parte immutatae. Nam etiam ante meridiem solent multi prandere, & noctu fere omnes canulam facere.

Praeter jejunia ab Ecclesia prescripta sunt multi dies, quibus Christiani in carnis abstinenre solent, & in primis omnes feriae sextæ, ut apparet ex Ecclesiæ consuetudine, & ex Nicol. ad Consult. Bulg. c. 4. Nulla autem hac nostra extata feria VI. excipitur, praeterquam cum Christi dies Natales in hujusmodi feria celebratur. Hic enim dies celeberrimus, & Sanctissimus semper fuit exceptus, ut constat ex Nicol. ad Consult. Bulg. c. 5. & ex c. ult. de observ. jejun. Olim autem idem erat privilegium aliarum Solemnitatum, ut Epiphaniæ, Assumptionis beatæ Virginis, diei festi S. Stephani, S. Joannis Baptiste, SS. Petri, & Pauli Apostolorum, S. Andreæ, & S. Joannis Evangelistæ, quibus solemnitatibus fideles etiam in feria sexta carnis poterant vesici, ut constat ex eod. Nicol. ad Consult. Bulg. c. 5. De sabbato idem dicere possumus, quod de feria sexta. Consuetudo enim est antiqua, ut eo die Christiani a carnis abstineant, ut est apud Gregor. VII. in Syn. Rom. c. 3. ubi ait: *Quia dies Sabbati apud Sanctos Patres in abstinentia celebris est habitus, nos eorumdem auctorita-*

*tem sequentes, salubriter admonemus, ut qui-
cumque sc Christianæ Religionis participem
esse desiderat, ab esu carnium eodem die, nisi
majore festivitate interveniente, vel infirmi-
tate impediente, abstineat. Hæc Gregorius VII.
At vero haec abstinentia diei Sabbati non est tam
generalis, quam illa feriae sextæ, ut apparet ex
nonnullis nationibus, apud quas non servatur, ut
apud Baleares, aut non arcte servatur, ut in ma-
gna Hispaniæ parte, in qua non omnino a carni-
bus abstinent more aliarum nationum, sed certa
quadam ratione illius Regionis propria, quæ an-
tiquissimo illius provinciæ usu est confirmata, in-
deque, ut ferunt, Hispani eamdem consuetudi-
nem ad Judas transtulerunt.*

In Partis II. Lib. IX. Titulum XXII.

JAM in ipso hujus libri initio diximus Græcos, & Latinos inter se dissidere de jejunio Sabbati. Græci enim die Sabbato non jejunant, præterquam in vigilia Paschatis, quæ in conciliis antiquis magnum Sabbathum appellari solet. Nituntur autem ipsi plurimum c. 64. Apostolorum, in quo Sabbati jejunium prohibetur. Sed certe non omnes illi Apostolorum canones recipiuntur, neque existimantur Apostolorum, ut alio loco dicemus. Deinde hic canon, qui profertur a Græcis est 64. Et in corpore Canonum, qua collectio ne olim plurimum utebatur Ecclesia Romana, magnique eam faciebat 50. Canones tantum exstant. Afferunt præterea rationem Græci, cur tantum uno die Sabbato, nimirum in vigilia Paschatis, nimirum quia eo die Apostoli tristitia, & mærore affecti jejunarunt. Sed dissolvit aperte hanc rationem Innocentius Pontifex Max. in epist. 1. cap. 4. & quia jam in hoc tit. illius verba afferuntur, supervacaneum effet eadem modo repetere. Sunt præterea aliæ rationes, quibus Græci suam sententiam tuentur, quæ sunt apud amplissimum Cardinalem Baronum Tom. I. Annalium & quia ibi cuius sunt in promptu, silentio eas prætermitto. Hoc certum est apud Latinos semper hunc morem jejunandi tam die sabbato, quam aliis diebus excepta Dominica viguisse, Innocentiique Sanctissimi Pontificis, & multorum Conciliorum auctoritate perpetuoque Ecclesiæ Romanaæ usu confirmari.

In Partis II. Lib. IX. Titulum XXIV.

LIET cæmoniæ veteris legis tempore mortis Christi cessaverint, non tamen statim, ut inter Theologos eruditissimos constat, ita fuerunt prohibitiæ, ut in peccatum incidenter, qui eas servarent. Immo in concilio illo habito ab Apostolis, de quo est mentio apud S. Lucam Act. c. 15. impositum fuit ipsi metum discipulis, qui genus ducebant ex Gentilibus, onus servandi alias cæmonias legis veteris proprias, nimirum abstinentiæ a suffocato, & a sanguine. Idque constitutum fuit, tum propter Gentiles, ut eo modo omnino discederent a ritibus suis antiquis, tum etiam propter Judæos, qui valde abhorrebat ab hujusmodi cibis [a]. Quare ut possent utrique, nempe, qui accedebant ad Ecclesiam ex Judæis, & Gentilibus, simul vitam agere, & alii cum aliis libenter versari, merito statuerunt Apostoli, ut Gen.

(a) Vid.
D. Thom. c.
2. q. 103.
art. 4.

Gentiles etiam ab hujusmodi cibis abstinerent. Sed id, quod dicitum est de suffocato, & sanguine, non fuit prohibitum in perpetuum, sed fuit lex propria illius aetatis, imposta propter causas nuper commemoratas. Hanc igitur ob caussam antiqui illi non omnes cibos more nostro sumebant, & de his igitur in hoc tit. Nam præter decretum illud, quod est apud D. Lucam, sunt etiam alii Canones, in quibus prohibentur hujusmodi cibi, ut appareat ex Apost. cap. 63, Concil. Gangr. c. 2. & ex aliis. Sed haec prohibitio, cum non fuerit perpetua, jam diu cessavit, quamvis incertum sit, ad quod usque tempus haec decreta vim, & robur habuerint. Illud tamen animadversum est, non eamdem esse rationem omnibus illis cibis, quos diximus decreto. Apostolorum fuisse prohibitos. Nam Idolothita sua natura affreabant scandalum, & qui illis vescebantur, re ipsa Gentilium sectam profiteri, & falsos illorum Deos colere videbantur. Erat enim apud antiquos cibus ille tamquam signum quoddam, quo ostendebant, qui epulabantur, se sectæ Gentilium addictos esse, aut illo actu tunc se addicebant, & si Christiani erant, a cultu nostra Religionis ad idolatriam se transferre videbantur. Quare ob hanc caussam licet nullum decretum fuisse de hac re, nulla ratione poterunt, cum hoc scandalum existeret, Christiani Idolothitis vesci. Atque ita sunt in Concilio Ancyrano, & in aliis Conciliis multi Canones, quibus imponitur gravis poenitentia iis, qui hujusmodi cibos edebant, licet non ex animo, sed inviti, & metu mortis ad illa accederent convivia. Sed ut Idolothita omittam, certe decreta illa de suffocato, & sanguine jam diu obsoleverunt. Fateor tamen in nonnullis Conciliis canones aliquos reperiri, qui videntur a quibusdam scis abhorrire. Sed certe aut cibi illi alieni sunt ab iis, quibus homines uti solent, aut aliqua caussa occulta extabant in illis Provinciis, propter quam fuerunt hujusmodi canones constituti, aut denique cum concilia ipsa sint provincialia, & non fuerint Pontificis Max. auctoritate confirmata, non mirum est si Patres, pace ipsorum dixerim, in hisce decretis erraverint. Extant item aliquæ Pontificum Romanorum Epistolæ, in quibus etiam aliqui cibi prohibentur, ut Gracculi, Cornices, Ciconiæ, Equi tam silvestres, quam domestici, sed appetit hos cibos eam obcaussam vetari, quia sunt alieni ab hominum usu. Cum enim Pontifices illi, nimirum Gregorius II. & Zacharias agerent ibi de barbaris nuper ad Religionem Christianam conversis, fortasse, ut illorum mores componerent, eosque ad vitam politicam traducerent, hujusmodi ciborum, qui insoliti sunt, abstinentiam indexerunt.

In Partis II. Lib. IX. Tit. XXVI.

Agape idem est, quod dilectio: appellabantur autem Agapes quædam convivia, quæ dilectionis, sive amoris gratia alii aliis, & præsertim divites pauperibus apparare solebant, de quibus est magna mentio, tum apud varias Synodos, que in hoc tit. continentur, tum apud antiquos. Patres, ut apud D. Chrysostomum, D. Augustinum, Gregorium, & alios. Ab illo igitur amore, & ca-

ritate fraterna, quæ caussam præcipue dabat iis conviviis appellabantur *Agapes*. Quoniam autem aliqua absurdæ in hujusmodi convivia irrepererunt, nam in Ecclesiis sternebantur triclinia, & ibi Christiani epulabantur, quod alienum videbatur a veneratione, quæ Ecclesiæ debetur, & præterea nonnulli non solum vescebantur iis cibis, qui appositi fuerant, verum etiam id, quod reliquum erat, domum deferebant, propterea cautum fuit in Concil. Laod. & in Trull. ne in Ecclesiis, vel in locis Dominicis, nimirum in Atriis, vel porticibus finitimis Ecclesiæ deinceps Christiani comedenter. Decreverunt item Patres in eodem Concil. Laod. ne qui ad haec convivia vocarentur, sive Clerici, sive laici ciborum reliquias sibi reservarent, quia videbatur hic usus iis præsertim, qui in clerum erant cooptati, maculam inurere. Quod autem ad ipsas Agapas generaliter attinet, laudat illas Concil. Gangrense c. XI. & c. ult. & invehitur in eos, quia haec convivia reprehendebant. Atque haec de usu antiquorum. Postea vero præsertim in nonnullis Provinciis cum multa absurdæ ex his conviviis sequerentur, fuerunt præsertim in magna Italiae parte a D. Ambrosio sublata, & in Africa item consilio, & opera D. Augustini, qui ut constat ex epist. 64. omnes nervos contendit, ut usus illorum conviviorum aboleretur. Licet enim a principio optimè fuissent introducta, tamen postea permulti illis abutebantur, nullaque habebatur ratio modestiæ, & temperantiae, sed fe convivie ciba, & potu replebant, ebrii que sæpe exhibant ex conviviis. At vero in aliis Provinciis adhuc viguit eorumdem conviviorum consuetudo, estque mentio de Agape, licet non hoc nomine vocetur apud D. Gregorium lib. I. reg. epist. 54. qui in dedicatione cuiusdem Ecclesiæ jubet instrui convivium pauperibus, præscribitque epulas, quæ illis sunt apponenda. Itaque extiterunt varia de hac re consuetudines olim: & ut antiquos illos omittam, videtur etiam ad hanc disputationem pertinere, id quod est in Concil. Nannet. in quo sermo est de quibusdam sodalitatibus, sive confratribus, in quibus solebant ipsi sodales splendide epulari. Quoniam autem caussam dabat hujusmodi convivia gravissimi peccatis, jubet Synodus confrates ab his abstinere, tantumque permittunt Patres, ut si necesse est ipsos convenire, semel tantum libere, & fragmentum panis sumere possent. Hæc enim sunt verba Concilii: *qui voluerint eulogias a presbytero accipiant, & panem tantum frangentes, singulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere presumant.* Extat præterea in variis Provinciis adhuc hac nostra aetate vestigium aliquod hujus consuetudinis antiquæ: In nonnullis enim Sanctorum Natalibus mos est, præsertim in aliquibus pagis, ut his omnibus, qui ad Ecclesiæ porticum, aut ad alium locum destinatum confluunt, panis, & caseus, aut aliquid aliud esculentum datur. Deinde cum dives aliquis excedit e vita solent heredes, præsertim apud rusticos, ipsis cognatis, & Sacerdotibus, & aliis omnibus, qui ad funus efferendum, & exequias cohonestandas veniunt, prandium apponere, & item pauperibus panem, & vinum distribuere. Viget etiam in multis

pis Regionibus apud sodalitates, sive confraternitates idem mos, quem antea diximus a Concilio Nanneren. in Gallia fuisse sublatum; solent enim sodales ipsi quotannis simul epulari in feriis illius Sancti, quem sibi patronum delegerunt. Soletque eodem die, ut par est, ratio pauperum haberi.

In Partis II. Librum X.

CUM de variis rerum generibus haec tenus sit astum, modo jam in his septem ultimis hujus secundæ partis libris agitur de septem Sacramentis. In his autem libris ea omnia, quæ extant in jure veteri, eo ordine collocantur, ut omnia præcipua capita facile reperiri possint, & quoniam baptismus est janua, & fundamentum ceterorum Sacramentorum, ponitur primo loco. Cum autem multa de illo in jure veteri sint decreta, hanc methodum in ipsis decretis percensendis sequimur, ut primo loco ea, quæ antecedunt baptismi suscepitionem, deinde quæ sunt propriæ ipsius baptismi, ad extremum reliqua, quæ aliquo modo ad baptismum pertinent, in hoc libro proponantur. Quoniam igitur Cathecumeni olim antequam baptismū susciperent, in doctrina christiana erubebantur, Symbolūque Apostolorū, & alia Religionis nostræ mysteria ediscabant, & præterea solebant se ad baptismū jejuniis, & aliis piis exercitationibus comparare, statim in ipso initio decreta de hisce rebus collocantur, & in varios titulos distribuuntur. Itaque ante ipsum baptismum afferuntur ea, quæ de cathecumenis extant. Proponuntur deinde alia, quæ baptismi sunt propria, nimirum de materia, de forma, de ministro, de effectu: postea vero sequuntur multa, quæ aliquo modo ad ipsum baptismum videntur spectare, suntque varii tituli de loco, de tempore, de susceptoribus, de cognitione, quæ oritur ex baptismō, & de aliis rebus, quas longum esset modo percensere.

In hoc libro de baptismō licet multa jam vetustate consenserint, aut novis legibus fuerint sublata, tamen quæ in primis quinque titulis de cathecumenis continentur, ad eos adultos, qui in variis infidelium provinciis ad religionem Christianam convertuntur, adhuc hac nostra aetate possunt accommodari. Quod enim ad hos attinet, nihil prohibet, quominus ea, quæ in his titulis commemorantur, paucis tantum exceptis, observari valeant. Immo ea, quæ dicuntur de cathechismo, & de instruendis iis, qui baptismum suscipiunt, licet hoc tempore infantes nuper nati baptizentur, pertinent idem ad eosdem, cum ad usum rationis perveniunt. Quemadmodum enim adulti debent Religionis nostræ mysteria ante baptismi susceptiōnem ediscere, ita infantes, quia cum baptizantur non posunt, debent in eisdem erudiiri, cum incipiunt uti ratione. Præterea certum est ea omnia, quæ dicuntur de iis, qui cathecumenos docent, & de presbyteris, & reliquis ministris, qui baptismum conferunt, adhuc vigere, & esse necessaria.

In Partis II. Lib. X. Tit. X. & Tit. XI.

Præter hos canones, qui ex jure antiquo de-
prompti sunt, extant permulti in jure recentiore, in quibus est mentio de materia, aut de forma, aut de utraque, ut in c. Non ut apponeres, de baptismō, in Clem. unic. §. Ad hec de Summ. Trin.

in Conc. Florent. de instruct. Armen. & in Conc. Trident. sess. VII. c. 2. Non autem satis est eum, qui baptizet, verba illa proferre: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sed debet adiungere verbum per quod significatur actus, qui per ipsum exercetur, ut, *Te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut patet ex c. 1. de baptismō. Non est autem de necessitate forma, ut apponatur verbum primæ personæ, nimirum, *ego te baptizo*, valet enim forma, qua Græci utuntur: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut patet ex Concil. Florent. in instruct. Armen. licet latīnus, qui illa uteretur, graviter peccaret, non quia non valeret baptismus, sed quia in re gravi omitteret ritum Ecclesiæ latīnæ.

In Partis II. Lib. X. Tit. XII.

TN hoc titulo videntur aliqui canones inter se repugnare: Nam in Canone quodam Concilii Carthagin. IV. cavetur ne mulier baptizet. Contra autem Nicol. ad Consulta Bulg. affimat baptismum ab infideli collatum valere, dummodo alia, quæ necessaria sunt, concurrant. Sunt item alii Canones, qui de hac re videntur obscure loqui. Quare operæ pretium erit paucis ea complecti, quæ ad hunc titulum pertinent. Minister igitur bifariam potest considerari, uno modo ut reverā vim habeat baptismus, & repeti non valeat, & hoc modo quilibet sive sit vir, sive foemina, sive judæus, sive sarracenus, si habeat in animo id facere, quod Ecclesia facit, & adhibet materiam, & formam legitimam, sine dubio baptizat, ut patet ex Epistola Anastasi II. & ex Nicolao ad Conf. Bulg. c. 14. 15. 16. & 104. quæ omnia in hoc titulo continentur. Alio modo potest Minister considerari, ut non solum baptismus, quem confert, sit verus, & certus, verum etiam ut ipse possit legitimate, & sine illo peccato ipsum baptismum conferre, & sane tunc duo tempora sunt perpendenda; alterum est cum necessitas instat, itaut periculum sit, ne ille, de cuius baptismō agitur, statim moriatur, & tunc, si non est alius, qui baptizet, etiam mulier, immo & paganus, & judæus, & hereticus potest baptizare, ut patet ex iisdem capitibus, & ex Conc. Florent. in instruct. Armen. & ex Trident. sess. VII. c. 4. Si autem non est hujusmodi necessitas, tunc ut legitimate, & ex præscripto Ecclesiæ conferatur baptismus, minister hujus Sacramenti tantum erit Sacerdos, & non quilibet Sacerdos, sed qui est ad hoc munus destinatus, ut constat ex eodem Conc. Florent. & ex usu Ecclesiæ. Si quis autem alias eum conferre velit, peccabit, at vero valebit, ut dictum est, ipse baptismus, quicumque minister ille sit, dummodo non sit ipse, qui baptismum suscipere vult. Neque enim potest quipiam se ipsum baptizare, ut patet ex c. Debitum de bapt. in quo rationes afferuntur, cur nullus possit sibi ipsi baptismum conferre. Non solum autem peccabit qui non ordinatus ausus fuerit baptizare extra necessitatem, sed incidet etiam in excommunicationem, & erit item irregularis, quod constat c. 1. de Cleric. non ordinand. ministr.

In

In Partis II. Lib. X. Tit. XV.

DE baptismo infantibus conferendo extant item multa in jure recentiore, ut in c. *Majores*, de baptism. in Clem. 1. de Summ. Trinit. in Concil. Trident. sess. VII. c. 12. 13. & 14. de Sacramento baptismi. Num autem amentibus, & dormientibus possit dari baptismus, ut infantibus, & si detur, num habeat vim, & sit revera baptismus vid. cap. *Majores*, §. *Verum quidem*, & ea que sequuntur usque ad finem ipsius capituli.

In Partis II. Lib. X. Titulum XVI.

Licit aliqua decreta de immersione sint, quæ inter se pugnare videantur, tamen omnia facile conciliantur ex iis, quæ afferit D. Gregor. in epistola ad Leandrum. In hujusmodi enim re varii olim Ecclesiæ ritus extiterunt propter varias, & justas caussas, aliquandoque ipsa Ecclesia una tantum immersione, & aliquando tribus usit. Illud autem certum est, non esse ita necessarium hunc modum baptizandi per unam, aut per tres immersionses, ut alias non valeat baptismus, satis enim est, ut aspergatur ille, qui suscipit baptismum, ut patet ex communī Theologorum sententia, & ex usu Ecclesiæ.

In Partis II. Lib. X. Titulum XVII.

Per spicium est nonnullas cæmonias, quæ in hoc titulo afferuntur, contraria confutidine sublatas esse, qualis illa est: Baptismum a jejunis esse conferendum, & aliæ item hujusmodi, quas supervacaneum esset modo commemo rare, cum ex lectione ipsorum Canonum quilibet eas cognoscere valeat.

In Partis II. Lib. X. Titulum XVIII.

Quod ad hunc titulum attinet, duo tempora considerari oportet, alterum est cum necessitas impendet, & tunc ubicumque potest baptismus conferri, alterum vero est, cum non obstat hujusmodi necessitas, tuncque nullus extra Ecclesiæ destinatas debet baptizari. Probant hæc toto hoc titulo, & Clem. unic. de Baptism. in qua etiam graviter arbitrio Episcopi puniri jubentur, qui in aliis locis baptizant, & item qui illi baptismus intersunt. Excipiuntur autem in eadem Clem. filii Regum, & Principum, quos in ædibus parentum Ecclesia baptizari permittit.

In Partis II. Lib. X. Titulum XIX.

Præscribitur in hoc titulo tempus, quo baptismus est suscipiens, designaturque solemnitas Paschæ, & Pentecostes, exceptis ægratis, qui morbo gravi laborant, quibus olim quocumque tempore licebat baptismum suscipere. Licet autem justas ob caussas mos antiquus fuerit immutatus, nullaque certorum dierum habita ratione, quotidie apud nos soleant infantes baptizari, tamen cum adulti aliqui se ad Religione nostram transferunt, præsertim in illis Regionibus, quas infideles incolunt, non video, cur non possit antiqua consuetudo tot Patrum decretis confirmata observari eo saltam modo, quem D. Gregorius tradit lib. VII. reg. epistola ad Fantinum, quæ in hoc titulo continentur, nimirum, ut nisi adulti ipsi cathecumeni graviter ferant, tamdiu baptismum differri, tempora illa antiqua observentur; si autem grave his fuerit,

Tom. V.

tunc designetur illis aliqua solemnitas, aut dies aliquis Dominicus, quo baptismum suscipiant. Hoc autem præter D. Gregorium videtur etiam significare Nicolaus ad Consulta Bulgarorum cap. 69.

In Partis II. Lib. X. Titulum XX.

CUM olim certi tantum dies essent ad baptismum suscipiendum designati, merito sunt canones, qui in hoc titulo continentur, constituti; at vero hæc nostra ætate parum sunt necessarii, cum liberum cuilibet sit, nisi quidpiam alia ratione obstet, quocumque tempore baptismum suscipere. Apponuntur autem hoc loco, tum ut appareat quantum olim diligentiam Ecclesia adhibuerit, ne quisquam sine baptismō moreretur, tum etiam, ut consuetudo Ecclesiæ antiqua omnibus sit nota.

In Partis II. Lib. X. Titulum XXII.

In hoc titulo est mentio de fraternitate spirituali, ac si matrimonium impedit, ut patet ex c. 2. Nicol. ad Consult. Bulg. quod hoc continetur. At hodie cessat hoc impedimentum, fuit enim omnino sublatum a Concil. Trident. sess. 24. c. 2. de reformatione matrimonii, in quo de coagitatione spirituali hæc verba profert: *Sancta synodus statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismō suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizaque patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur, &c.*

In Partis II. Lib. X. Titulum XXIV.

Illud in hoc titulo animadvertendum est, eum, qui inter Christianos, & ex Christianis parentibus est natus, non facile esse baptizandum jam adultum, licet probari non possit, ipsum fuisse in infantia baptizatum, quia revera admodum verisimile est, huic homini baptismum in ipsa infantia fuisse collatum, ut Innocentius III. ait in c. ult. de presbyt. non baptizat. cuius hæc sunt verba: *Et certe de illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter presumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidenter forsan argumentis contrarium probaretur.* Hæc Innocentius. Si autem ille revera, ut aliquando contingit, non esset baptizatus, & tamen suscepit sacros ordines, certe deberet, cum id constaret, baptizari, & iterum ordinari, ut patet ex c. 1. & 3. eod. tit. de presbyt. non baptizat. & si ante susceptionem baptismi moreretur, nequam id obstat, quominus posset pro eo sacrificium offerri, ut constat ex c. 2. eod. tit. Quoniam autem pacto sit forma exprimenda, cum est dubitatio, num quis sit baptizatus, docet Alexander III. ia c. 2. de baptismō.

In Partis II. Lib. X. Titulum XXXI.

Fortasse in hoc titulo alijci negotium facit, quod in nonnullis Apostolorum canonibus, ut in 46. 47. 68. continetur, in quibus baptismus hæreticorum omnino videtur respici, & improba-

Cccc

ri.

ri. Sed certe quidquid sit in ipsis decretis, semper fuit Ecclesiæ sententia, quam vari olim Pontifices Maximi contra D. Cyprianum, & alios Episcopos Africanos constanter defenderunt, eos non esse rebaptizandos, qui ab hæreticis sunt baptizati, dummodo vero baptismi forma servetur, & alia concurrent, quæ necessaria sunt, nimirum materia, & minister cum intentione faciendi, quod ecclesia facit. Quare aut illos Canones intelligi oportebit de baptismō hæreticorum, qui veram formam non servant, quales olim fuerunt Phryges, & Paulianistæ: aut si hæc interpretatio minus congrue videtur, quia hi hæretici omnes fuerunt Apostolis recentiores, perspicuum sane est illos canones, de quibus facta est mentio, non esse Apostolorū, sed ab aliquo nomine Apostolorum fuisse conflictos, & hæc causa fortasse fuit, cur canones Apostolorum a Gelasio in Concilio LXX. Episcoporum fuerint inter libros apocryphos numerati, ut patet ex eodem concilio, & est apud Gratianum in c. *Sancta Romana*, 15. dist.

Hæc occurunt in libro de baptismō observatione digna. Extant multa alia in jure novo variis in locis præsertim in Concil. Florent. in decreto de instructione Armen. & in Concil. Trid. Sess. VII. sed ea silentio prætermitto, tum quia omnibus sunt in promptu, tum etiam quia non est nostri munera omnia, quæ de baptismō sunt in jure novo, in medium afferre.

In Partis II. Librum XI.

Quoniam in hoc libro nulla est mentio formæ, & vix quidpiam est de materia hujus sacramenti Confirmationis, consentaneum erit hæc, & alia nonnulla addere ex jure novo. Licet enim munus nostrum tantum sit colligere ea, quæ sunt in jure veteri, tamen cum hæc disputatio gravissima sit, non erit omnino a nostro instituto alienum ea adjungere, quæ huic loco videntur deesse. Extat itaque de Sacramento Confirmationis magna mentio in cap. unic. de extrema unctione, item in Concil. Florent. in instructione Armenorum, & in Concil. Trident. Sess. VIII. Est item mentio in c. *Pastoralis*, de Sacram. non iterand. Primum agitur de illius nominibus in d. cap. ult. de Sacra unctione §. *Per frontis*, in quo hoc Sacramentum appellatur *Confirmationis*, & manus impositio, & frontis chrisma. Deinde in eod. c. & in Concil. Florent. agitur de materia, hæc autem dicitur esse chrisma ex oleo, & balsamo confectum. Affertur item in eodem Concilio Florentino forma, quæ his verbis constat: *Signate signo crucis, O confirmo te christi mate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Item in eodem Concilio profertur minister, commemoratur euam effectus, datur enim in eo Spiritus Sanctus ad robur, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Redditur quoque ibidem ratio cur consignatio fiat in fronte. Præterea in Concil. Tridentin. statuunt Patres Confirmationem vere sacramentum esse contra hæreticos, qui id negant, ejusque Sacramenti virtutem commemorant, illiusque ministerium ordinarium solum Episcopum esse affirmant. Sed de ministro postea tit. V. erit disputa-

tio. Illud tandem observandum est debere suscipi sacramentum Confirmationis ante susceptionem ordinum, immo ante susceptionem primæ tonsuræ, ut patet ex eod. Concil. Trident. Sess. 23. cap. 4. de reform. sed non est hoc ita necessarium, ut si omittitur sacramentum Confirmationis, non possit vere suscipi ordinis sacramentum, revera enim & suscipitur, & imprimatur character. Immo ut aliqui viri docti (a) existimant, sublato contemptu, omissione illa non erit peccatum mortale.

In Partis II. Lib. XI. Titulum II.

HIC titulus pertinet ad materiam. Est autem hoc loco dubitatio, num balsamum sit de necessitate materiae, hoc est num sit ita necessarium, ut si non apponatur, nullo modo possit hoc sacramentum conferri, & certe in c. unic. de sacra unctione, & præcipue in Concil. Florentin. in decreto de instruct. Armen. aperte dicitur materia confirmationis, Chrisma ex oleo, & balsamo confectum. Nihilominus tamen sunt multi Doctores, qui existimant balsamum non esse omnino necessarium, sed posse oleo tantum consecrato hoc sacramentum conferri. In hac sententia est Cajet. in 3. p. D. Thom. quæst. 72. art. 2. Dominicus Sotus in 4. dist. Navarr. in sum. c. 22. num. 8. Proabant autem hi Doctores suam sententiam c. *Pastoralis*, de sacramentis non iterand. in quo cum quipiam oleo tantum fuisse unctus, quo tempore confirmationis sacramentū accipiebat, interrogatus Pontifex an sacramentum iterum esset conferendum, respondit nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum. Itaque sentiunt hi Doctores balsamum non esse de necessitate materiae, sed tantum de necessitate præcepti, & certe non videtur hæc sententia improbabilis, præsertim cum tanta sit veri balsami penuria, ut fortasse nonnulli Episcopi vix illud consequi possint ex quo illud efficeretur, ut sacramentum confirmationis sæpe non conferretur. Neque obstant decreta quæ supra proposita sunt, in quibus materia dicitur esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo, nam in his decretis proponitur id quod certum est. Illud enim inter omnes constat si balsamum adjungatur oleo, certam tunc esse materiam sacramenti confirmationis, dummodo consecratur ab Episcopo. At vero num oleum tantum sat sit, nec ne, in illis decretis Patres neque disputatione, neque quidpiam de ea re decernunt.

In Partis II. Lib. XI. Titulum VI.

Certum est Ministerium confirmationis ordinarium tantum esse Episcopum, ut patet ex decretis, quæ sunt in hoc titulo, & ex c. unic. §. ult. de sacra unctione, & ex Concil. Florent. in decreto de instruct. Armen. & ex Concil. Trident. sess. VII. c. 3. de confirm. & ex c. *Quanto*, de consuetudine: at vero ex dispensatione Pontificis Maximi potest Presbyter Christi per Episcopum confecto sacramentum confirmationis administrare, ut patet ex D. Gregorio in cap. *Pervenit*, dist. 95. cap. 1. quod in hoc titulo continetur, & ex Concil. Florentin. in instruct. Armen.

In

(a) *Dome.*
Sotus in 4.
dist. 24. q.
1. *arr.* 4.
Navar. in
summ. c. 22.
num. 2.

In Partis II. Lib. XI. Titulum IX.

HAC nostra ætate quocumque tempore solent Episcopi hoc sacramentum conferre.

In Partis II. Lib. XI. Titulum X.

Ratio cur hoc sacramentum repeti non possit, hæc una est, quia imprimit characterem. Sacraenta enim, quæ hujusmodi sunt, non iterantur, ut patet ex Concil. Florent. in instruct. Armen. in quo hæc verba sunt: *Inter hec sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, idest spirituale quoddam signum a cæteris distinctum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Probatur præterea ex Concil. Trident. c. 9. de sacramentis: *Si quis, inquit, dimerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Hæc Concilium Tridentinum. Occurrit autem hoc loco dubitatio, num incident in irregularitatem, qui hoc Sacramentum audent iterare. Et certe licet aliqui existimant illos esse irregulares, cum iterantes Sacramentum Baptismi sint irregulares, ut patet ex libro de baptismo tit. XXVI. & XXVII. & par sit ratio in hoc confirmationis sacramento, at vero si res diligenter perpenditur, non videntur incurrere in hanc poenam. Nam ut inter omnes constat, nulla umquam est irregularitas, nisi expresse caveatur in jure, ut patet ex c. *Is qui*, de sent. excomm. in 6. at certe nulla est mentio irregularitatis, quod attinet ad iterantes hoc sacramentum. Quare licet fateamur parrem esse rationem, non id satis est, ut inde quisquam colligere possit, eum, qui bis suscipit hoc Sacramentum, esse irregularem. Afferunt aliqui, qui contrariam sententiam tueruntur, per text. in c. *Dictum*, de consecr. dist. 5. in quo hæc verba sunt: *Vixum est nobis eandem confirmationem, sicut baptismum iterari minime debere, quia bis, vel amplius baptizatos, aut confirmatos non sæculo, sed soli Deo sub habitu regulari, vel seculari religiosissime famulari decreatum est.* Sed hæc parum obstant, nam verba illa ultima *Quia bis vel amplius, &c.* non sunt in vero contextu. Neque enim hic canon reperitur in Conc. Tarraconen. ex quo dicitur depromptus, sed in Concilio Cabilonen. sub Carolo. Deinde licet demus esse verba illa in contextu, non videtur in illis esse mentio irregularitatis, saltem aperta.

In Partis II. Lib. XI. Tit. XII.

Quemadmodum ex baptismo, ita etiam ex confirmationis Sacramento oritur cognatio spiritualis, ut patet ex hoc tit. & ex c. 1. §. ult. de cognat. spiritual. & ex c. *Quamvis*, §. *De confirmatione*, eod. tit. in 6. At vero cum olim latius patret, contraxit illam Conc. Trid. ut eam etiam quæ oritur ex baptismo, sustulitque fraternitatem: sunt autem hæc verba Concil. sess. 24. c. 2. de reform. matr. *Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenen-*

zem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

In Partis II. Librum XII.

Licit multa occurant, quæ ad hunc librum explicandum, & exornandum afferri possunt, tamen quoniam multi viri eruditissimi de hoc divino Sacramento copiose scripserunt, ea nunc observabo, quæ in primis hujus loci propria videntur. Et quoniam ea, quæ sunt in jure antiquo, jam in hoc libro continentur, attingam brevissime modo in hoc initio, & postea in ipsis titulis illa, quæ præcipua sunt in jure novo de hoc Sacramento. Extant itaque multa in titulo de celebr. Missar. & in Concilio Florentino in decreto de instruct. Armen. & in Trident. Sess. 13. & Seil. 22. & tandem sunt multa in aliis locis, quæ longum esset percensere. Dividitur autem perspicuitatis gratia hæc disputatio in duas partes, prior proprie est de Eucharistia, altera de Sacrificio Missæ. Cum enim multa sint ipsius Sacrificii propria, consentaneum fuit de his separatim agere.

In Partis II. Lib. XII. Titulum I.

Extant multa de materia, & in primis de forma in c. *Cum Martha*, de celebr. Missar. Sunt item aliqua in c. *De homine*, eod. tit. & in Conc. Florent. in decreto de instruct. Armen. & in Trident. Sess. 13. in decreto de Sanctissimo Eucharistia Sacramento, & postea in canonibus.

Apponuntur autem nonnulla decreta in hoc titulo, quæ videntur potius ad Missæ Sacrificium pertinere, sed ideo hoc loco etiam collocantur, quia agitur in his de materia. Illud præterea observandum est, licet de aqua sit mentio in multis decretis, debeatque cum vino misceri, tamen longe aliam rationem esse aquæ, quam sit vini, nam vinum proprie est materia, & licet non apponatur aqua, revera fieret consecratio: at vero aqua tantum est de necessitate præcepti, ut patet ex Concil. Trident. Sess. 22. cap. 7. & can. ult. quamvis peccaret gravissime Sacerdos, si illam non admiseret. Debet autem hæc aquæ pars exigua admodum esse, ut constat ex Concil. Florent. in instruct. Armen. & probat D. Thom. in 3. p. q. 74. art. 8. Neque est tenenda sententia Concilii Triburien. c. 19. quod censet tertiam aquæ partem posse admisceri, cuius Concilii verba non extant in hoc titulo, quia cum valde repugnant Ecclesiæ ritui, satis esse putavi hoc loco de illis mentionem facere. De ipsa autem aqua, & de ratione, cur vino admiscetur, sunt multa in d. cap. *Cum Martha*, & in c. *In quadam*, de celebr. Missar. Est itaque de hac admixtione mentio in c. *Pernicious*, eod. tit.

In Partis II. Lib. XII. Titulum II.

Quoniam hæc disputatio est gravissima, contentaneum erit adjungere alios Canones ex jure novo, ut videant hæretici Sacramentarii quid omni tempore, & omnibus superioribus facultatis crediderit, & professa fuerit Ecclesia Catholica. Sunt igitur multa de hac re in Conciliis recentioribus, & in Pontificum decretis, ut in c. *Cum Martha*, & in c. *De homine*, de celebr. Missar. & in Clem. unic. de Reliquiis, & Ven. Sanct. in

in Concil. Florent. in decret. de instruct. Armen. & in Concil. Trident. Sess. 13. in decreto de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, præcipue in cap. 1. & 3. & 4. & in can. 1. 2. 3. 4. 5. 8. & Sess. 22. in doctrina de Sacrificio Missæ cap. 1. & 2. Præterea in hoc titulo item agitur de effectu, loquitur d. cap. *Cum Martha, §. Quesivisti*, in fin. & Clem. unic. de reliq. & venerat. Sanct. & Concil. Florent. in d. decreto, & Trident. in eadem Sess. 13. cap. 2. & 3. & 8. & can. 5.

In Partis II. Lib. XII. Titulum IX.

HIS, quæ in hoc titulo continentur, plura alia de præparatione, quam postulat Eucharistia, addi possunt. Extant enim multa in Clem. unic. de reliq. & vener. Sanct. & in Concil. Trident. Sess. 13. in decreto de Eucharistia præsertim c. 7. & c. 11. Vid. etiam c. *De homine*, de celebr. Missar.

In Partis II. Lib. XII. Titulum VII.

DE hac re vid. Concil. Trident. Sess. 13. can. 9. & Sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missæ, & licet hac nostra ætate Christiani in Paschate tantum teneantur ex præcepto percipere Eucharistiam, at vero olim multo frequentius hoc cœlesti cibo vescebantur, fuerunt autem de hac re apud antiquos varia Ecclesiæ consuetudines, ut apparent ex hoc titulo. Priscis enim illis temporibus omnes fere, qui intererant Sacrificio Missæ, exceptis pœnitentibus, sumebant corpus Christi, ut patet ex c. 9. Apostolorum, & ex Concilio Antiocheno cap. 2. Postea vero ter saltem quotannis, nimirum in natali Christi, in Paschate, & in Pentecoste solebant communicare, ut constat ex Concil. Agathensi cap. 18. & ex Concil. Turon. sub Carolo cap. 10. & licet hæc Concilia non fuerint generalia, est tamen magna de illis mentio, videnturque tuisse ab omnibus fere recepta. Meminit præterea de communione cœnæ Domini Concilium Cabilonense sub Carolo c. 47. loquiturque de ea hoc Concilium, tamquam de re communi fidelium consuetudine, & usu confirmata. Deinde sunt multi Canones, in quibus tum Pontifices, tum synodi magnopere ad frequentem perceptionem Eucharistiae Christianos cohortantur. Ut appareat ex Nicolao ad Consult. Bulg. cap. 9. & ex aliis decretis, quæ in hoc eodem titulo continentur, quibus adjungere possumus Concil. Trident. Sess. 22. cap. 6. de sacrificio Missæ, in quo haec verba sunt: *Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistie perceptione communicarent, quo ad eos hujus sacrificii fructus uberior proveniret, &c.*

In Partis II. Lib. XII. Titulum III.

Ministris duobus modis potest in hoc Sacramento considerari; alter enim est, qui conficit Eucharistiam, & hic tantum est Sacerdos, & de hoc agitur infra de Sacrificio Missæ tit. 1, alter vero est, qui tribuit populo ipsam Eucharistiam, & hic etiam tantum est Sacerdos, sive ille ipse qui consecrat Eucharistiam, sive alias. At vero olim cum Eucharistia tribuebatur populo sub utraque specie, munus erat diaconi ca-

licem præbere. Immo in nonnullis Regionibus præbebant item Diaconi Eucharistia sub specie panis, ut patet ex Concil. Carth. II. c. 38. & ex aliis decretis, quæ in hoc titulo continentur, in quibus generaliter dabatur Diaconis facultas tribuendi populo Eucharistia absente Episcopo, & presbytero, aut etiam eisdem prætentibus, dummodo faciant potestatem Diacono exercendi hoc munus. Favetque plurimum huic sententiae Gelas. epist. 1. c. 10. cujus hæc sunt verba: *Sacri Corporis prærogationem sub con/pectu Pontificis, seu Presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi Diaconi.*

In Partis II. Lib. XII. Titulum XI.

A Deo verum est Eucharistiam non esse iis denegandam, quibus imminet mors, dummodo aliqua causa gravis ipsorum desiderio non obstat, ut etiam tempore interdicti sit ad ægrotos deferenda, ut patet ex cap. *Quod in te*, de pœnitentia, & remission. Immo nec denegatur hæreticis, quamvis relapsis, & ad mortem damnatis si dolent peccatis, manifestaque ostendunt pœnitentia signa ut patet ex c. *Super eodem*, de hæreticis in 6. Licet id jam videatur in multis regionibus contraria consuetudine sublatum, fortasse quia raro hæretici præsertim relapsi ea pœnitentia signa dant, quibus homines pii, & prudentes confidere valeant.

In Partis II. Lib. XII. Titulum XII.

Laica communio, de qua in jure veteri perséparatur, communio sub una tantum specie panis, quod vel ex eo constat, quod, priscis illis temporibus, cum laici sub utraque specie sumebant Eucharistiam, reperitur magna mentio hujus communionis laicæ. Laica itaque communio idem est quod communio inter laicos: olim namque solebant Christiani ita percipere Eucharistiam, ut primo loco eam perciperent Episcopi, si qui præfentes aderant ad Missæ sacrificium, deinde presbyteri, postea Diaconi, quarto loco subdiaconi, post hos reliqui clericis, tandem laici, & peregrini. Cum igitur Episcopus aliquis, aut presbyter, aut Diaconus, aut aliis Clericis alicujus criminis cautia deponebatur, solebat illi concedi plerumque communio laica, nimirum fiebat illi potestas communicandi inter laicos, ac si laicus esset. Potest hoc aperte probari ex synodo quadam Suevensensi apud S. Medardum, quæ in hoc titulo continetur. In ea namque synodo fit mentio de Ebbono Archiepiscopo Remensi, cui cum ab Archiepiscopatu depositus fuisset, concessa est tantum laica communio, ut synodus ait. Et postea ac si eadem synodus explicare velit, quid sit laica communio, utitur his verbis: *Sedes Apostolica per Sergium Papam dictum Ebbonem damnavit Episcopum, adeo ut inter Laicos communionem habere mereretur.* Hæc igitur est communio illa laica antiquorum, de qua sæpe veteres synodi loqui solent.

Eodem modo communio peregrina, de qua est titulus proximus, videtur esse communio inter peregrinos, nam post laicos, qui erant Gives, communicabant laici peregrini.

Hæc

Hæc decreta, quæ hactenus proposita sunt in hoc libro, occurunt in jure veteri de Eucharistia, sunt præterea alia in jure novo de hoc sacramento, & exempli causa de ipsa Eucharistia sole miter in processione deferenda, de celebrando festo illius institutionis proprio, de reservando eodem sacramento in sacrario. Extant item multa de discrimine, quod est inter hoc, & reliqua sacramenta, & de aliis rebus, quas longum esset percensere, de quibus omnibus vide Clem. unic. de reliq. & vener. sanct. & Concil. Florent. & Trident. in locis quæ supra sæpe proposita sunt. Atque hæc modo de sacramento Eucharistia.

Posterior Pars hujus Libri X.

IN hac posteriori parte agitur de Missæ sacrificio. Sunt autem multa in jure novo, quæ pertinent ad hanc eamdem disputationem, tum in tit. de celebr. Missar. tum præcipue in Concil. Trident. sess. 22. Videbatur ratio ordinis postulare, ut primo loco de re, quæ offertur in hoc sacrificio, titulus collocaretur, sed quia jam supra in priore parte actum est de Eucharistia, in qua vere Christus continetur, & idem ipse Christus in Milla incruente immolatur, ideo consentaneum est initium sumere ab ipso ministro, qui sacrificium offert, & deinde de ritu, & de cæremoniis, & de veneratione, quæ ipsi sacrificio debetur, & de aliis rebus, quæ ad Missam pertinent ea, quæ in jure veteri sunt in medium afferre.

In Partis II. Lib. XIII. Titulum I.

Quoniam unus, & idem minister in Missa consecrat Eucharistiam, & offert Sacrificium, prohibenturque Sacerdotes extra Missam confidere hoc Sacramentum, ideo satis visum est hunc titulum de ministro in hac posteriore parte collocare, & in illa priori de ipso mentionem facere, cum canones de ministro Sacrificii Missæ, & de Ministerio Sacramenti Eucharistiaj idem sint, ipseque Minister revera unus, & idem sit. Sunt autem in jure novo multa de ministro in Concil. Florent. de instruct. Armen. & in Trident. Sess. 22. cap. 1. de Sacrificio Missæ, & can. 2.

In Partis II. Lib. XIII. Titulum II.

Licet unum, & idem Sacrificium in Missa offeratur, varii tamen sunt ritus in Missæ celebratione, & ut alias omittam, duo præcipue extant hac nostra ætate, alter Ecclesiæ Romanæ, quo utitur magna Europæ pars, alter Græcorum, quo utuntur ipsi Græci, etiam illi, qui Sedi Apostolicæ, & Pontifici Max. obediunt. Quoniam autem in hoc libro, licet aliqua sint de Græcorum ritu, præcipue tamen in eo continentur Ecclesiæ latinæ cæremoniæ; de iis in primis agitur in hoc libro. Hæc itaque duplices sunt, aliae enim sunt majoris ponderis, quæ nullo modo sunt omittendæ, de hisque extant multa in hoc libro varii in locis, & item in jure novo. Primum enim non potest Sacerdos facere sacrum, nisi jejonus sit, exceptaque de hac re titulus III. in hoc libro, neque sine vestibus, & vasis sacris ab Ecclesia huic Sacrificio destinatis, neque sine candelæ lumine, debet præterea ut alias dictum est admiscere vino ante consecrationem paululum aquæ. Prohibetur ut calice ligneo, aut vitro: tenetur item latinus Sa-

cerdos in azimo pane Missæ Sacrificium celebrare, quæ omnia constant ex c. *Cum Martha*, ex c. *Pernicosus*, ex c. ult. de celebr. Missar. & ex usu Ecclesiæ, & ex variis decretis, quæ in hoc libro continentur. Omitto modo alia multa de loco, de altari, & de aliis rebus hujusmodi, quas omnes cæremonias Ecclesia magni facit, jubetque eas omnes diligenter servari. Aliae autem cæremoniæ sunt minoris momenti, quæ in motu corporis, & membrorum, & in numero orationum, & in aliis rebus ejus generis consistunt, in quibus magna sine dubio solet esse varietas, & de his proprie extat hic titul. & licet hæc varietas in primo capite videatur a D. Gregorio permitti in diversis provincijs, tamen extant multa decreta, quibus cavetur ne in una, & eadem provincia varii, & dissimiles sint mores, & ritus, sed unus, & idem ordo in Missæ celebratione teneatur.

In Partis II. Lib. XIII. Titulum III.

Hæc consuetudo antiquissima est, eamque diligentissime semper servavit Ecclesia, & licet in Carthagin. Concil. III. c. 29. unus tantum dies nimirum feria quinta in cena Domini excipiatur, in qua licebat olim Sacerdotibus in Africa post coenam sumere Eucharistiam, sed sublata fuit hæc consuetudo, nulloque modo potest Sacerdos ullus post cibum, aut potum Missam celebrare. Adeo autem Ecclesia amplectitur hanc consuetudinem, ut etiam cum Sacerdos potest bis, aut ter sacrum facere, vel in Christi natali si ablationem in una Milla sumit, nulla ratione possit aliam amplius eodem die celebrare, ut patet ex c. *Ex parte*, de celebr. Missar. Eadem item lege tenentur Christiani omnes, qui ad Eucharistiam accedunt, tantumque excipiuntur illi, qui graviter ægrotant, quibus si jejunii non possunt, licet semel tantum post alios sumere Eucharistiam. Ratio autem hujus consuetudinis ea est, quam affert Nicol. ad Consult. Bulg. c. 65. cujus verba sunt in c. 1. hujus tituli, nimirum veneratione, quæ debetur Eucharistia: indignum enim est ullum cibum humanum ante hunc divinum assumere. Hanc item rationem affert D. August. epist. 118. c. 6. tom. 2. qui ait consuetudinem hanc suam etate in toto orbe christiano servari solitam, & in fine illius capitil afferit hunc morem a D. Paulo fuisse institutum. Vide de hac re D. Thom. in 3. p. q. 80. art. 8.

In Partis II. Lib. XIII. Titulum IV.

In hoc titulo variae commemorantur cæremoniæ, ex quibus multæ sunt totius Ecclesiæ communes, aliae vero aliquarum provincialium propriæ: item multæ adhuc extant, aliae vero jam sunt omnino sublatæ. Supervacaneum autem esset modo observare, quæ adhuc vigeant, & serventur, & quæ jam obsoleverint, cum hæc omnia magna ex parte omnibus, & præcipue Sacerdotibus sint nota. Illud tantum negotium facere potest, quod de recitandis quorundam nominibus in Missæ celebratione in nonnullis decretis extat: fuit autem hæc olim Ecclesiæ consuetudo, ut in tabulis ecclesiasticis, quæ diptycha appellabantur, nomina scriberentur tum Pontificis Maximi, & Patriarcharum, tum etiam Episcoporum, qui præfuerant ipsis

ipſi Ecclesiæ, in qua Missa celebrabatur, & aliorum, qui Ecclesiā illam erexerant, aut suis opibus illam auxerant, & locupletaverant. Recitabantur autem a Diacono ex suggestu, & si alicuius nomen delebatur, & non referebatur inter alios, erat ille velut excommunicatus, & ejectus ex numero piorum. Est autem magna mentio horum diptychorum multis in locis, & præcipue in Concilio quodam CP. sub Joanne Patriarcha tempore Justini Imperatoris, & in Synodo quadam Mopstena, quæ refertur inter acta V. Synodi gen. CP. Act. 5. in epistola quadam Episcorum Egyptiorum ad Anatolium pro Concilio Chalcedonē. & apud Gelasium in epistola ad Episcopos Orientis, & in epist. Justini Imperatoris ad Hormisdam, cuius initium est: *Quo sumus semper, &c.* Itaque quemadmodum nunc solent orare in Missa Sacerdotes ante consecrationem pro Pontifice Maximo, & pro Antifite suo, & paulo post, licet non voce, tamen mente pro aliis, qui adhuc vivunt. Deinde vero jam consecrata hostia, ante ipsius sumptum adhibent preces pro mortuis, & præsertim pro aliquibus, quos cogitatione percurrent. Eodem modo olim inter Missarum solemnia, quorundam, qui adhuc vivebant, nomina proferebantur, deinde in fine Missæ legebantur, ut dictum est, nomina defunctorum multorum Antifitum, quos Ecclesia in numero piorum reponebat. Sunt multa de hac re, ut dixi apud Græcos, meminit item D. Leo de hac consuetudine epistola 38. ad Anatolium, in qua jubet nomina Dioscori, Jovenalis, & Eustathii in sacro non recitari, & item D. Innocentius epistola 1. c. 2.

In Partis II. Lib. XIII. Titulum V.

JAM aperte inter Catholicos constat, quid in sacrificio Missæ offeratur, at vero extant aliqui canones, qui permittunt aliqua in altari offerri, quæ tamen nullo modo ad Missæ sacrificiū pertinent, ut uva, & spicæ, de quibus est mentio in cap. 3. Apostol. & de his agitur in hoc titulo.

In Partis II. Lib. XIII. Titulum IX.

Graci solebant tempore quadragesimæ Missæ sacrificium celebrare sabbato, & dominico die, quibus non jejunabant, non autem aliis diebus, quibus jejunabant; causam autem, quam affert Theodorus hæc est, quia dies jejunii sunt iudei, & tristitia dicati, Missæ autem sacrificiū videtur afferre latitudinem, & jucunditatem. Itaque ipsi omnibus quadragesimæ diebus, præter sabbatum, ut dictum est, atque dominicum diem, & item præter festum Annuntiationis solebant eum morem servare, quem feria sexta majoris hebdomadæ Ecclesia Romana tenet.

In Partis II. Lib. XIII. Titulum XIII.

Licit canones, qui in hoc titulo sunt, ex decreto Theodulphi Episcopi sint depropria, qui ætate Ludovici Pii Imperatoris 780. ab hioc annis floruit, & Aurelianensem rexit Ecclesiam, non tamen properea quisquam existimet, eo tempore hujusmodi Missarum usum introductum fuisse, est enim mentio in conciliis antiquissimis de hujusmodi Missis, ut in Vasensi, sive Vasieni II. quod eodem saeculo fuit habitum, quo-

D. Leo Romanæ præfuit Ecclesiæ. In eo igitur Concilio c. 4. hæc verba sunt: *In omnibus Missis, sive matutinis, sive quadragesimalibus, sive in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus sunt, semper sanctus, sanctus, sanctus eo ordine quo ad Missas publicas dici debet.* Hactenus Synodus Vasion. quæ aperte de Missis matutinis, & de Missis pro defunctis mentionem facit, easque a Missis publicis distinguit. Meminit præterea Concil. Bracharense. II. c. 10. de Missis defunctorum, quas, ut dictum est, constat ex Concil. Vasion. supra proposito, non esse publicas, sed privatas. Puniuntur autem ibi quidam presbyteri hæresi Priscilliani addicti, qui non jejunii Missas celebrant. Sumitur autem de ipsis supplicium, ut patet aperte, non saepe quia pro defunctis, sed quia non jejunii Missas celebrant. Fuit autem hoc Concilium habitum, ut appareat ex ipso initio æra 610. anno a Christo nato 572. Meminit præterea de eisdem Missis pro defunctis Concil. Bracarense. I. c. 6. At vero licet hoc ita sit, solitique fuerint sine dubio antiqui sacrificium sæpiissime pro defunctis offerre, nihilominus tamen olin fere omnes Christiani, præsertim diebus festis ad Missas publicas confluabant. Id autem colligi potest ex D. Leone in epistola 79. ad Dioscorum, cuius initium est: *Quam dilectioni tuæ, &c.* In ea namque epistola S. Leo usum Ecclesiæ Romanæ profert, in qua in festis solemnibus solebat non semel, sed sæpe Missa publica celebrari, ut omnes adesse possent: *Illud, inquit S. Leo, volumus custodiri, ut cum solemnis festivitas conventum populi numerosiori indixerit, & ad eam tanta multitudo convenierit, quam recipere basilica simul una non possit, indubitanter iteretur: & paulo post, cum plenum pietatis, atque rationis sit, ut quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur.* Necesse est autem, & quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum Missæ more servato, sacrificium offerre non possit, nisi qui prima diei parte convenerint. Hæc D. Leo, ex cuius verbis, præsertim ex illis: *necesse est autem &c.* apparet fere omnes solitos fuisse ad hujusmodi Missas publicas concurrere, & non ad privatas, ut mos est nostræ ætatis. Ita enim D. Leo loquitur de illis publicis, ac si non solerent Christiani aliis Missis interesse. Hujusmodi autem Missæ privatæ celebrantur etiam ante horam tertiam, cum tamen Missis publicis, & solemnibus hora tantum tertia, ut patet ex tit. 8. hujus libri, esset destinata.

In Partis II. Lib. XIII. Titulum XVII.

Nullus fere est, qui ignoret Missam cathecumenorū eā partē dici, quæ pertinet a principio Missæ ad Evangelium usque. Itaque cathecumeni aderant initio Missæ, & audiebant ea omnia, quæ antecedebant Evangelium, & itē ipsum Evangelium, ejusdemque explicationem, sive concessionem, si fortasse Episcopus, aut alias eam habebat, & postea descendebant ipsi, & item quidam ex poenitentibus, qui tantum catechumenorum Missæ poterant adesse, de quibus est men-

mentio infra in lib. de pœnitentia. Quoniam autem fideles baptizati intererant Missæ catechumenorum, & præterea toti sacrificio usque dum Sacerdos data benedictione illos dimittebat, idcirco dicuntur hi in nonnullis conciliis audire Missas, ut in Concil. Agath. c. 47. & Aurel. I. c. 26. ad 28. ex Aurel. III. cap. 28. Nam & audiabant Missam cathecumenorum, & præterea reliquam Missæ partem, quæ propria erat illorum, qui jam susceperant baptismum.

In Partis II. Librum XIV.

IN hoc libro de pœnitentia longum esset perse-
qui ea omnia, quæ in singulis titulis duci pos-
sint. Est enim hæc disputatio copiosa, agnique
de ea viri eruditissimi, quare satis erit statim a
principio rationem ordinis, quem in distribuen-
dis titulis secuti sumus, reddere; deinde vero si
quæ proprie ad eosdem titulos pertinent breviter
explicare. Cum igitur sacramenta ipsa (ut patet
ex Concil. Florent.) ut perfici possint, indigeant
materia forma, & ministro, ideo in Sacramento
pœnitentiæ exorsi sumus ab ipsius pœnitentis
actibus, qui sunt quasi materia, ut est in eodem
Concil. Florent. & in Trident. Sess. 14. cap. 3.
de doctrina Sacramenti pœnit. & can. 4. atque
ita post titulum primum, qui est velut præfatio.
quædam hujus libri de pœnitentia, collocatur ti-
tulus de contritione, deinde de confessione, post-
ea de satisfactione. Sequitur de forma, & mini-
stro, nimirum de absolutione, & de potestate Sa-
cerdotis. Post explicationem eorum, quæ proprie-
sunt hujus Sacramenti, ponitur titulus de effe-
ctu, qui est remissio peccati. Hæc itaque con-
tinentur a princip. usque ad tit. 6. De ipso autem
tit. 6. & de iis, qui sequuntur, tum erit sermo
cum illi tituli occurront. Est autem observandum
pœnitentiam duobus modis sumi: aliquando enim
sumitur pro Sacramento a Christo instituto ad
remissionem peccatorum, quæ post baptismum
sunt admissa, qua ratione pœnitentia hæc, sive
hoc Sacramentum pœnitentiæ proprium est
Christianorum, immo eorum tantum, qui jam
baptisma susceperunt: alio modo sumitur pro
virtute, sive pro actu virtutis, quo illi, qui in
peccatum mortale inciderunt, ipsam Dei offend-
tionem cum peccati odio, & animi dolore dete-
stantur, & hoc modo non est tantum Christiano-
rum, sed etiam ante adventum Christi fuit omni-
bus, qui peccatum mortale ad miserunt, hæc pœ-
nitentia necessaria, immo, & modo si qui adulti
ante baptismum peccant, indigent etiam hac pœ-
nitentia, ut patet ex verbis illis D. Petri: *Pœ-
nitentiam ogite & baptizetur unusquisque
vestrum.*

In Partis II. Lib. XIV. Titulum II.

AD hunc titulum de contritione multa addi-
possent ex Concil. Florent. & Trident.
Sess. 14. sed satis erit adducere in medium defini-
tionem, quam Patres afferunt in dicta Sess. 14.
cap. 4. quæ ita colligitur ex Concil. Florent. Est
autem contritio animi dolor, ac detestatio de-
peccato commissio cum profecto non peccandi de-
cetero: Hæc Patres in Trident. & item in Flo-
rent. Concilio. Num autem sufficiat attritio in

hoc sacramento præsertim scitu non est hujus loci
disputare. Illud certum est attritionem illam, de
qua in d. Concil. Sesl. 14. in doctrina de sacra-
mento pœnitentiæ cap. 4. est sermo, laudari, &
appellari donum Dei. In hoc aetem titulo plura
sunt degrompta ex sacris litteris, quam in aliis,
ut appareat, quanta in illis mentio fiat hujus do-
loris, & quantopere peccatores ad hunc dolorem
incitentur, tum etiam quia licet in jure veteri fiat
magna mentio de dolore maximo, quem plerum-
que pœnitentes præferebant, & in satisfactione
imponenda magna habeatur ratio hujus doloris,
tamen non sunt multi canones in Conciliis anti-
quis de hac re. Cum enim nulla esset dubitatio,
sed aperte constaret dolorem, & peccatorum dete-
stationem esse necessariam, non statuerunt multa
Patres in Conciliis de hoc negocio, præsertim
cum a viris sanctissimis, & eruditissimis multa
jam fuissent scripta de hac pœnitentiæ parte. Qua-
re multo pauciora sunt in Conciliis de hoc dolo-
re, quam de satisfactione, sive de poenis, quæ pec-
catis præcipue gravibus constitui solebant, ut patet
ex multis titulis, qui in hoc libro contine-
ntur. Licet in his poenis statuendis saepe item fiat
mentio de dolore, & majore, sine dubio erga illos
pœnitentes indulgentia uterentur Episcopi, qui
majorem doloris significationem darent.

In Partis II. Lib. XIV. Titulum III.

Confessionem institutam esse jure divino, de-
bereq. peccatores omnia peccata mortalia,
quæ prius adhibita diligentia memoria tenent
(confiteri), perspicuum est, assertque multa de
hac re Concil. Trid. Sess. 14. in doctrina de sacra-
mento pœnitentiæ cap. 5. & can. 6. 7. 8. Inve-
hantur hæretici impie in confessionem, adver-
santerque impudenter doctrinæ Catholicae, quo-
rum dogmata Concil. Trident. in d. capite 5. de
sacramento pœnitentiæ, & in can. 6. 7. 8. meri-
tissimo tamquam hæretica damnat. Miror au-
tem, ut alias illorum hæretes omittam, quoniam
paeto dicere audeant hunc modum confitendi
peccata soli sacerdoti, quem Christiani tenent, esse
novum, & a Concil. Lateranen. sub Innocentio
III. institutum. Cum tamen vel ex iis, quæ in
hoc titulo afferuntur, aperte convinci possint.
Nam D. Leo, cuius auctoritas magna est, & mul-
tis saeculis ante Concil. Lateranen. præficit Ec-
clesiae, non solum loquitur de hac confessione oc-
ulta, tamquam de re usitata, & quotidiana, ve-
rum etiam reprehendit vehementer Sacerdotes,
qui volebant, ut peccatores occulti sua peccata
in omnium conspectu proferrent, aperteque ait
consuetudinem illam confitendi occulte ab Apo-
stolis emanasse. Hæc enim sunt ejus verba in ep.
78. ad Episcopos Campaniæ, cuius initium est,
*Magna indignatione: c. 2. Illam [inquit] con-
tra Apostolicam regulam præsumptionem, quæ
nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione
committi, modis omnibus constituo submoveri*
(de pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus po-
stulatur) ne de singulorum peccatorum genere,
libellis scripta professio publice recitetur, cum
reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdoti-
bus indicari confessione secreta. Hæc D. Leo:
affert

affert item ibidem alia de eadem confessione occulta, quæ supervacaneum esset omnia percensere cum jam extent in hoc titulo. Omitto modo alias Canones multo antiquiores Concilio Lateranen. qui etiam in hoc titulo continentur, ex quibus apparet hunc usum confitendi soli Sacerdoti antiquissimum esse, semperque in Ecclesia viguisse.

In Partis II. Lib. XIV. Titulum IV.

Licet homines sua sponte satisfacere possint, & sumere de se ipsis poenas de peccatis, quæ commiserunt, tamen satisfactio proprie hoc loco sumitur pro poena, quam Sacerdos ipsi poenitenti peccatorum causa audita confessione præscribit. Debet autem Sacerdos imponere satisfactionem ipsam, ut Concil. Trid. ait pro qualitate criminum, & poenitentium facultate convenientium. Hæc enim sunt ipsis concilii verba: *Debent Sacerdotes Domine, quantum spiritus, & prudentia suggesterit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Habet autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum ducuntur, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent. Hactenus Concilium. Licet autem Sacerdos debeat necessario, ut est communis Theologorum sententia (a), imponere satisfactionem, communiter (b) omittit tamen merito illam, si ipse poenitens integre satisfacit, aut si eidem jam mors impendet, tunc enim absolvendus est, & satisfactio relinquenda.

Quamvis multa sint in jure antiquo de satisfactione, tamen in hoc titulo non sunt multi canonnes, quia in eo generaliter agitur de satisfactione. Sunt autem alii tituli, qui etiam ad satisfactionem pertinent, ut tit. de modo imponendi poenitentiam, qui est XI. & item tit. X. de tempore, & modo poenitentie plerumque arbitrio Sacerdotis constituedo, & tandem sunt multa alia de satisfactione, sive de pœnitentia, quæ olim singulis peccatorum generibus erant præscripta.

In Partis II. Lib. XIV. Titulum VI.

Forma hujus Sacramenti poenitentie sunt verba illa, quibus utitur Sacerdos, cum absolvit non omnia, sed tantum hæc *Ego te absolvo*, ut sentit D. Tom. in 2. p. q. 84. art. 3. verba autem illa *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. licet convenienter addantur, non tamen sunt absolute necessaria, ut probat D. Thom. eod. art. in fol. 3. arg. & est communis Theologorum sententia.

Rursus in hoc tit. agitur de potestate. Sacerdotis, hæc autem duplex est, altera appellatur ordinis, quæ nimirum sine jurisdictione non potest ut illa priore, non, inquam, potest absolvere, ut patet ex cap. *Omnis*, de pœnit. & remiss. in quo Concil. Lateranen. ait,, *Sacerdotem non posse absolvere*, *alienum parochianum sine propria Sacerdotis licentia*, & ex c. *Si Episcopus*, de pœn. in 6. ubi ait,, *Pont. Max. nulla consuetudine introduci posse*, ut quis præter sui superioris licentiam possit sibi eligere confessarium, qui eum valeat solvere, vel ligare". Item ex Concil. Florent. in quo Patres afferunt Ministrum Sacramenti poenitentiae esse sacerdotem, qui habeat auctoritatem absolvendi, & etiam ex Concil. Trident. Sess. 14. cap. 7. cujus hæc sunt verba: *Quoniam natura, & ratio judicij illud exposuit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti solutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Hæc sunt Concilii verba. Quamvis autem jurisdictione, ut patet, omnino necessaria sit, tamen distributio ipsius Christi auctoritate pendet ex Ecclesiæ, & Pontificis Max. voluntate: nam soli Petro dixit Christus Jo. ult. *Pasce oves meas*, probaturque ex epistola D. Leonis 87. ad Episcopos Viennen. cuius initium est: *Divina cultum religionis.* Hujus, inquit, munieris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatusimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortum se ministerii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hæc D. Leo. Patet irem ex c. *Fundamenta*, de elect. in 6. ubi hæc verba D. Leonis ferè omnia continentur, & etiam constat ex communī totius Ecclesiæ ulo. Videmus enim Pontificem Max. tribuere jurisdictionem, & auferre, atque restringere, sibique reservare aliquorum criminum abolutionem, ut patet ex hæresi, & ex aliis, quæ continentur in Bulla coenæ Domini, ex quibus omnibus apparet, sacerdotes non habere jure divino jurisdictionem, sed ab Ecclesia illam accipere. Potest præterea hoc probari, quia tunc dicitur quis jurisdictionem habere, cum habet subditos, at vero nullus Sacerdos hoc ipso tantum, quod Sacerdos est, habet subditos, ergo neque habet jurisdictionem. Quare licet auctoritate Dei possit Sacerdos peccata dimittere, tamen hanc potestatem exercere non potest, nisi Ecclesia aliquos ipsi subditos tribuat: & hæc est sententia D. Thom. in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. q. 1. in corp. & in fol. 1. arg. & dist. 20. q. unic. art. 1. q. 2. in corpor. & in fol. 1. arg. qui fatetur potestatem ordinis esse in omnibus sacerdotibus, at vero ex Ecclesiæ præscripto juri-

testas absolvendi. Sed ut possit uti hac potestate, oportet ipsum habere subditos, quos absolvat, aut liget, neque enim hi dantur in ordinatione. Cum igitur designantur illi subditi, tunc actu potestatem illam exercere valet, diciturque habere jurisdictionem. Sunt itaque hæc duæ potestates necessariae, ut sacerdos solvere possit, & sine hac posteriori nimirum sine jurisdictione non potest ut illa priore, non, inquam, potest absolvere, ut patet ex cap. *Omnis*, de pœnit. & remiss. in quo Concil. Lateranen. ait,, *Sacerdotem non posse absolvere*, *alienum parochianum sine propria Sacerdotis licentia*, & ex c. *Si Episcopus*, de pœn. in 6. ubi ait,, *Pont. Max. nulla consuetudine introduci posse*, ut quis præter sui superioris licentiam possit sibi eligere confessarium, qui eum valeat solvere, vel ligare". Item ex Concil. Florent. in quo Patres afferunt Ministrum Sacramenti poenitentiae esse sacerdotem, qui habeat auctoritatem absolvendi, & etiam ex Concil. Trident. Sess. 14. cap. 7. cujus hæc sunt verba: *Quoniam natura, & ratio judicij illud exposuit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti solutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Hæc sunt Concilii verba. Quamvis autem jurisdictione, ut patet, omnino necessaria sit, tamen distributio ipsius Christi auctoritate pendet ex Ecclesiæ, & Pontificis Max. voluntate: nam soli Petro dixit Christus Jo. ult. *Pasce oves meas*, probaturque ex epistola D. Leonis 87. ad Episcopos Viennen. cuius initium est: *Divina cultum religionis.* Hujus, inquit, munieris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatusimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortum se ministerii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hæc D. Leo. Patet irem ex c. *Fundamenta*, de elect. in 6. ubi hæc verba D. Leonis ferè omnia continentur, & etiam constat ex communī totius Ecclesiæ ulo. Videmus enim Pontificem Max. tribuere jurisdictionem, & auferre, atque restringere, sibique reservare aliquorum criminum abolutionem, ut patet ex hæresi, & ex aliis, quæ continentur in Bulla coenæ Domini, ex quibus omnibus apparet, sacerdotes non habere jure divino jurisdictionem, sed ab Ecclesia illam accipere. Potest præterea hoc probari, quia tunc dicitur quis jurisdictionem habere, cum habet subditos, at vero nullus Sacerdos hoc ipso tantum, quod Sacerdos est, habet subditos, ergo neque habet jurisdictionem. Quare licet auctoritate Dei possit Sacerdos peccata dimittere, tamen hanc potestatem exercere non potest, nisi Ecclesia aliquos ipsi subditos tribuat: & hæc est sententia D. Thom. in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. q. 1. in corp. & in fol. 1. arg. & dist. 20. q. unic. art. 1. q. 2. in corpor. & in fol. 1. arg. qui fatetur potestatem ordinis esse in omnibus sacerdotibus, at vero ex Ecclesiæ præscripto juri-

(a) *Peritus Sotus in pastorali lectione. A. 2. De satisfactione. c. 2. Viat. in summa de sacram. q. ult. de satif. Cap. 4. in alii tituli, qui etiam ad satisfactionem pertinent, ut tit. de modo imponendi poenitentiam, qui est XI. & item tit. X. de tempore, & modo poenitentie plerumque arbitrio Sacerdotis constituedo, & tandem sunt multa alia de satisfactione, sive de pœnitentia, quæ olim singulis peccatorum generibus erant præscripta.*

(b) *Viat. in Cajet. obs. 5. Petrus Sotus ibidem. pars. 1.*

jurisdictionem contrahi, aut omnino tolli. In eadem sententia est item Turrecrem. in Summ. de Eccles. c. 77. Concil. 5. & 6. Palud. in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. add. 2. Cajet. in opus. de Primatu Pont. Max. Sot. in 4. dist. 20. q. 1. art. 4. Concil. 2. & Ricard. in 4. dist. 19. art. 1. q. 3. Quare, ut omnia paucis complectamur, sacerdos non potest ligare, neque absolvere nisi eos tantum, in quos habebit jurisdictionem, & hanc jurisdictionem accipit ab Ecclesia, quo tempore illi tribuuntur subditi, in quos potestate exercet. Hæc autem jurisdictione duplex est, alia enim est ordinaria, quam habent Episcopi, & parochi ratione sui munieris, & item Archiepiscopus cum visitat dioeces. Episcoporum, qui suffraganei sunt, ut patet ex c. ult. de censibus in 6. & etiam in Religionibus tam præpolitii generales, quam præfecti Cœnobiorum in suis cœnobiis. Hi enim simul atque incipiunt præesse illi muneri, Sacerdotes sunt, nisi fortasse impedimentum aliquod illis obstat, possunt exercere jurisdictionem, & excipere confessiones suorum subditorum. Alia autem jurisdictione est delegata, quam possunt exercere hi, & etiam alii Sacerdotes (qui alias non impediuntur) erga eos, in quos jurisdictionem ordinariam non habent ex commissione Pontificis Max. aut aliorum, ad quos illi subditi pertinent. Sed revera hanc jurisdictionem delegatam nullus Sacerdos exercere potest, solum quoad facultates etiam Sacerdotes nisi ab Episcopo idoneus judicetur, & ab eodem approbationem obtineat, ut appareat ex Concil. Trident. Sess. 23. cap. 15. de reformat. cuius hæc sunt verba: *Quamvis presbyteri in sua ordinazione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sacrosancta Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegii, & confuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.* Hæc sunt Concilii verba. Ea autem omnia, quæ dicta sunt de necessitate jurisdictionis, sine qua Sacerdos absolvere non potest, intelligenda sunt quod attinet ad peccata mortalia. Nam si quis tantum peccata habet venialia, aut mortalia, quæ jam alias legitime confessus est, quilibet Sacerdos potest illum absolvere, ut patet ex D. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. q. p. in sol. 3. arg. & Palud. in 4. dist. 19. q. 2. art. 2. in fin. Cajet. in sum. verb. absol. 2. Canus in relict. de pœn. part. 5. add. 4. principale. Navar. in sum. c. 4. num. 1. Et ratio est quia cum hujusmodi peccata proponuntur in confessione, judicium illud est prorsus voluntarium, neque cogitur pœnitentia confiteri. Quare quemadmodū hæc possunt in confessione silentio prætermitti, sic quivis Sacerdos potest ab eis absolvere etiam religiosus, saltem si religionis statuto, aut superioris præcepto non prohibetur. Atque hæc de ministro Sacramenti pœnitentia.

En Parte II. Lib. XIV. Titulum V.
Effectus hujus sacramenti est remissio peccati,
Tom. V.

vide de hac re Concil. Trident. in decret. de instruct. Armen. & Trident. Sess. 14. de Sacramento pœnitentia variis in locis.

In Parte II. Lib. XIV. Tit. VII.

Quoniam in sacramento pœnitentia ita remittuntur peccata, ut plerisque restet pœna exsolvenda, convenienter post titulos superiores de sacramento pœnitentia apponitur hic titulus de indulgentiis. Cum indulgentia sit solutio pœnæ debitæ ex thesauro Ecclesiæ, vel ut alii dicunt (a) *Absolutio a pœnis relictis post culpam remissam, interveniente solutione pœnæ Deo debitæ ex thesauro Ecclesiæ communicato.* Hanc autem potestatem conferendi indulgentias in Ecclesia esse nullus umquam catholicus dubitavit. Itaque præter Concilia multa generalia, ut Lateran. sub Alexand. III. cuius decretum est in hoc titulo primum, & alterum Lateran. sub Innocentio III. & Trident. sess. 25. decret. de indulgentiis, extant alia permulta Concilia, & Pontifices de quibus partim in titulo de pœnit. & in aliis titulis apud Greg. IX. est mentio, partim etiam in hoc titulo, & denique est communis totius Ecclesiæ consensus. Disputant autem de illis, defenduntque earum usum contra hereticos multi viri eruditissimi, quos enumerare longum esset. Omissis autem variis controversiis, quæ ab ipsis doctissime disputantur, illud tantum proferam, non esse indulgentiarum usum, ut heretici affirmant, in Ecclesia novum, & paucos abhinc annos introductum. Non enim tempore Inn. III. aut Alexand. III. indulgentiarum usus incepit, cum enim semper fuerit Ecclesiæ thesaurus, semper item fuit usus indulgentiarum, quamvis olim parvior, quam hac nostra ætate. Ratio autem cur modo sint frequentiores ea est, ut multi (b) dicunt, quia non erant tot olim, & tam gravia peccata, & item erant fideles magis dediti rebus divinis, nunc vero cum delictum abundaverit, & charitas elanguerit, conveniens est Pontificem Max. esse largiorem in conferendis his eleemosynis spirituallibus, cum major sit modo illarum necessitas, & præterea cum hostiæ Ecclesiæ maximus sit numerus, & gravissima pericula quotidie imminent, ad quæ propulsanda merito sane fidelibus conceduntur. At vero licet hoc ita sit, constetque indulgentias hoc tempore esse frequentiores, tamen certum est, illarum usum antiquissimum esse, ut afferit Concilium Tridentinum sess. 25. in decreto de indulgentiis, & probatur ex multis decretis conciliorum, & Pontificum antiquorum. Licet enim nomen indulgentia vix reperiatur in Conciliis antiquis, reperiatur tamen res ipsa aliis verbis significata. Relaxabantur itaque olim pœnitentia, quæ imponi solebant, nomine humanitatis ut in Concil. Nicæn. cap. 11. & in Concil. Ancyran. cap. 5. Aliquando autem nomine venia, aut pacis, aut condonationis, ut patet ex variis conciliis, quæ in hoc libro afferuntur, & ex D. Cypriano lib. Epistolarum I. epist. 2. & lib. 4. epist. 2. & ex D. Ambr. lib. 1. de pœnitentia contra Novatianos cap. 1. Atque ita Pontifices recentiores, ut Alex. III. & Inn. III. cum loquantur de indulgentiis, semper loquuntur tamquam

D d d

de

[a] Alex.
Halend. 4.
p. q. 83.
membr. 3.
Henr. Gant.
dav. quod
lib. 15. q.
13. Gerson.
tract. de ab.
sol. sacr. de
indulg. D.
Bon. in 4.
dist. 2. nr. 2.
q. 2. & 3.
Ricard. ead.
dist. art. 3.
q. 1. & art.
4. q. 2. Ca.
ject. tom. 1.
suor. opus.
tract. 15. c.
2. 3. 4. 5. 6.
Sot. in 4.
dist. 21. q. 1.
art. 2.

(b) Doct.
Theologici re.
centiores in
4. dist. 20.

de re antiqua, & usitata in Ecclesia, ut patet ex cap. *Quod autem, & ex c. Cum ex eo, de poenit.* & remisi. & ex aliis decretis, quæ sunt in hoc titulo.

In Partis II. Lib. XIV. Titulum VIII.

Postquam de sacramento poenitentiae, & de indulgentiis actuum est, sequuntur jam varii tituli qui plurimum pertinent ad hunc librum de poenitentia, nimirum de recipiendis peccatoribus qui poenitentiam agere volunt etiam ægrotis, item de modo imponendi poenitentiam, de his, qui post acceptam poenitentiam relabuntur in peccata, de poenitentia publica, de sacerdotibus qui poenitentiam agunt, & de aliis rebus ejus generis, & tamdem de poenitentiis, sive poenis, quæ olim singulis peccatorum generibus erant constitutæ. In hoc igitur tit. 8. agitur de recipiendis peccatoribus. Ecclesia enim semper se benignam, & clementem in hac re præbuit, obstatque valde hæreticis Novatianis, qui lapsos non esse recipiendos asserebant. Quoniam autem hæc Novatianorum hæresis diu, multumque afflixit Ecclesiam, & latissime patuit, operæ pretium erit de ipsa, de ipsiusque initiis breviter differere. Exorta fuit hæc hæresis eodem tempore, quo Decius Imperator ditionem Romanam gubernabat. Cum enim maxima tunc persecutionis vis in Christianos fuisset excitata, & aliqui imbecilles acerrimis tormentis perterriti Idolis immolarent, hos censuit Novatus numquam esse ad communionem admittendos. Primumque in Africa a D. Cypriano, qui eodem tempore plurimum sanctitate, eloquentia, & eruditione floruit, & a tota Ecclesia hac de causa dissidens, hujus hæresis auctor, & Princeps exitit, magnamque in ea regione ipsi Ecclesiæ attulit calamitatem, ab ipso autem illius perniciose hæresis sectatores Novatiani sunt appellati. Qui etiam sibi a munitione nomen imponebant, seque *Catharos* hoc est mundos volebant nominari, propterea quod non lapsos, Idolorumque sacrificiis inquinatos, sed tantum puros, & qui numquam a Religione declinassent, suscipiendos esse decernerent. Hic igitur Novatus hæreticus cum Ecclesiam in Africa vehementer vexasset, inde discedens Romanum venit, quo tempore Fabianus administrabat Ecclesiam, ubi multos etiam in suam sententiam traduxit. Cumque paulo post Fabianus pro Christiana religione, ut virum Sanctissimum decubat, vitam profudisset, & Cornelius post ejus obitum esset delectus, non solum Novatus a Cornelio discessit, illiusque communionem detestatus est, verum etiam alium Pontificem contra Cornelium constituit. Illud ambiguum est, & obscurum, num ipsem Novatum, an vero ipsius discipulus, qui ab ipso fortasse nomen habuit, Novatianus fuerit ab hæreticis Episcopus constitutus. D. namque Cyprianus, qui eodem tempore vixit, & de hac hæresi, & de hoc etiam schismate multas (a) epistolas ad ipsum Cornelium Pont. Max. scripsit, in ea est sententia, ut non Novatum, sed illius sectatore Novatianum hæreticorum Episcopū fuisse censeat, ab eoque in Africā legatus, ut Christianosibi commorantes ad

se pelliceret, missos fuisse testetur (b). Id præcipue affirmat in epistola ad omnes Catholicos, quæ vulgo circumfertur, in qua Novatianū extra Ecclesiā nominatum esse dicit. At vero aiii non Novatianū, sed Novatum Episcopum Rom. in schismate fuisse creatum asseverant, & ut recentiores missos faciam [c], Eusebius Cesariensis, hanc

[c] Nicæsentiam sequitur, qui Epistolam (d) quamdam ipsius Corn. Rom. Pont. ad Fabium Episcopum Antiochenum afferit, in qua Cornelius non solum hujus seditionis, atque hæresis culpam in Novatum confert, verum etiam eumdem illum sibi nomen, & insignia Episcopi arrogasse, & ex quorumdam Episcoporum manibus quodammodo extorsisse, sacramentoque multos sibi obligasse commemorat. Ut cumque se res habeat eo tempore cum Novatiani in Cornelium acerbe invehementur Synodus (e) habita fuit tunc Roma, ad quam Episcopi multi ex propinquis opidis & regionibus confluxerunt, qui omnes reje-

cto Novatiano electionem Cornelii comprobabant. In eadem etiam Synodo ipsius Novati hæresim damnarunt, lapsosque ad Ecclesiam redeentes recipiendos esse decreverunt. At vero Novatiani, ut mos est hæreticorum, suam sententiam obstinatione quadam defendantes cedere Catholicis noluerunt. Fuit item aliud concilium contra eosdem Novatianos a D. Cypriano, & ab aliis Episcopis habitum, de quo est magna mentio apud D. Cyprianum, licet Episcopos, qui convenerunt, non proferat, neque locum, aut diem certum proponat. Extitit autem hæresis multos annos, longaque, & late pervagata fuit, mentionemque illius faciunt multi magnæ autoritatis viri, ut Concil. Nicæn. c. 8. Eusebius lib. 6. hist. Eccles. c. 35. 36. 37. Cornelius in Epist. ad omnes Catholicos, Cyprianus in multis Epistolis, & potissimum lib. 2. epist. 8. D. Epiphanius lib. 2. tom. 1. hæreses 59. D. Ambr. lib. 1. de poenit. & aliis in locis. Socrates lib. 1. c. 7. & lib. 4. c. 23. & lib. 5. c. 20. & lib. 7. c. 5. & 12. Sozomenus lib. 1. c. 22. & lib. 7. c. 18. Anastas. Bibliothec. Niceph. Call. lib. 6. c. 4. 5. 6. & aliis in locis. Hanc autem hæresim, ut dictum est, semper Ecclesia Catholica oppugnavit, lapsosque recipiendos esse censuit, & licet in aliquibus Conciliis Patres in recipiendis nonnullis peccatoribus se difficiles præbuerint, revera tunc in ea fuerunt sententia, non quod peccatores, qui vere sua peccata detestantur, & ad Ecclesiam veniunt, minime recipiendos putarent, sed ne facilitas venia occasionem aliquibus daret, deficiendi a Religione Christiana, & incidendi in alia criminis gravissima, ita illos recipiebant, ut poenitentiam concederent, & communionem negarent. Patet hoc ex epist. Innoc. ad Exuperium Tholosanum Episcopum, in qua late hanc consuetudinem, & ipsius caussam commemorat: licet ibi de iis tantum loquatur, qui tunc poenitentiam exposcunt, cum proximi sunt jam morti. Hæc autem sunt verba Innocentii: *Et hoc quæsum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentia, & voluptatibus dediti, in extremo fine via*

(a) lib. 1. epist. 8. lib. 2. ep. 9. 10. 11. 12. lib. 3. epist. 13. multas (a) epistolas ad ipsum Cornelium Pont. Max. scripsit, in ea est sententia, ut non Novatum, sed illius sectatore Novatianum hæreticorum Episcopū fuisse censeat, ab eoque in Africā legatus, ut Christianosibi commorantes ad

tae suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposunt. De his observatio prior, durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutio essem, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum pœnitus negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesie suis reddidit, iom depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, & proper Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, ne Novatiani hæretici negantis veniam, aperitatem, & duritiam subsequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exilio vindicentur. Haec tenus Innocent. Ex cujus verbis colligere possumus causam, cur in Concilio Eliberit. & in aliis Conciliis antiquis toties negetur communio iis, qui nefaria quædam peccata commiserunt. Sunt enim ea Concilia antiquissima, & vigebat eo tempore in multis regionibus hujusmodi consuetudo. Licet enim Patres illi pœnitentiam non negarent, tamen communionem non concedebant. Quam consuetudinem ipse Innoc. jam suo tempore rejevit, & eamdem duram sine dubio, & asperam fuisse videtur significare. Itaque certum est, semper Ecclesiam peccatores ad pœnitentiam receperisse etiam morti propinquos. Immo & eos, qui propter criminum gravitatem ipsamet Ecclesia judicibus secularibus tradit, ut hæreticis, & aliis hujusmodi sceleratis hominibus, si suis peccatis dolent, pœnitentiam concedit, ut patet, ex c. Super eo, de hæreticis in 6. Quamvis autem haec omnia, quæ de pœnitentia dicta fuerunt, vera sint, tamen pœnitentia solemnis repeti non solebat olim in Ecclesia, sed de illa, & de modo, quem in eadem imponenda tenebant antiqui, infra in tit... erit disputatio.

In Partis II. Lib. XIV. Titulum X.

HOC arbitrium Sacerdotis non est ita intellegendum, ut possit omnino ut libuerit pœnitentiam imponere. Cum enim fungatur eo munere, ut Dei minister debet diligenter perpendere id quod sui officii ratio postulat, & nequaquam extra fines illos egredi, quos illi Patrum decreta præscribuntur. Nam in c. *Omnis*, de pœnit. & remiss. illud præcipitur, ut Sacerdos sit discretus, & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus fauciati &c. Idem etiam probatur ex Gregorio VII. in Syn. Rom. 4. & continetur hic canon in titulo superiori, ubi eas appellat falsas pœnitentias, quæ non secundum auctoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Constat præterea ex tit. proximo de modo imponendi pœnitentiam, ubi multa sunt de hac re. Et denique idem patet ex Concil. Trid. Sess. 14. c. 8. in quo Patres graviter inveniuntur in Sacerdotes, qui iis pœnitentibus,

qui in peccata magna inciderunt, leves quasdam pœnitentias imponunt, jubenturque Sacerdotes pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere. Est præterea hæc communis Theologorum intentia. Ricard. in 4. dist. 8. art. 1. q. 4. Scot. in 4. dist. 18. q. unic. Alex. in 4. p. q. 80. mem. 3. art. 1. Palud. in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. Concil. 3. & d. 20. q. 2. art. 1. & Dur. in 4. dist. 20. q. 1. & Sot. in 4. dist. 20. q. 2. art. 3. & D. Ant. in 3. p. tit. 17. c. 20. Abuden. q. 79. in c. 16. D. Matth. Silvest. verb. Confessor, 4. q. 2. & 3. Navar. in summ. c. 26. num. 15. & seqq. Ita adhibenda est rationis regula, & ita pena constituenda, ut pro majori culpa major etiam pena decernatur, videoturque id sine dubio ratio justitiae postulare. Nam ut est in Deuteron. c. 15. pro mensura delicti debet esse plagarum modus, & in Apoc. c. 18. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum. Deinde patet, quia Sacerdos in foro pœnitentiæ est Judex, ut ait Concil. Trident. Sess. 14. de Sacram. pœnit. c. 2. 8. & 6. Judicis autem est graviori culpæ majus supplicium constituere. Quamvis autem hæc omnia vera sint, habita tantum peccatorum ratione, & vero debet item Sacerdos diligenter perpendere pœnitentem ipsum, & adhibere ipsi remedium, atque ejus saluti totis viribus prospicere; ideoque sæpe operæ pretium est ab hac norma, & ab hac regula, quæ haec tenus proposita est, discedere, & in hoc plerumque consistit arbitrium Sacerdotis, de quo hic titulus extat, & mentionem facit. Debet enim in ipso pœnitente considerare doloris vim, & magnitudinem, nam quo major est hic animi dolor, præsertim si conjunctus est cum actibus, & exercitatione virtutum, tanto levior pena est eidem imponenda, ut apparet ex multis Conciliis, & Sanctorum decretis, quæ infra in multis titulis de pœnitentiis, quæ variis criminibus olim erant constituta, late continentur. Est item habenda ratio propensionis ad peccandum, nam ubi major est, majus remedium debet adhiberi; & denique præter gravitatem culpa est diligenter perpendenda commoditas, quæ est in ipso pœnitente satisfaciendi. Ipse enim Sacerdos non solum judex est, verum etiam est velut medicus, ut constat ex c. *Omnis*, de pœnit. & remiss. & quemadmodum medicus non adhibet semper medicamentum, quod morbus ipse ex sua artis præscripto videtur postulare, sed considerat vires, & robur ipsius ægroti, & ita se gerit, ut non utatur semper remedii illis, quæ ex sua natura sunt omnium optima, sed quæ ipsi ægroti, præsertim si debilis est, videntur maxime accommodata; eodem modo Sacerdos, licet ipsi pœnitenti suorum peccatorum gravitatem, & penas, quibus dignus est, proponere debeat, multa tamen plerumque occurunt quæ impediunt quominus satisfactionem delictis parè constituere possit, quæ omnia contentaneū est considerari, & hanc ob causam in hoc titulo dicitur tempus, & modus pœnitentiæ plerumque constitui arbitrio Sacerdotis. Debet namque ipse considerare, num pœnitens vexetur corporis modo, num sit senex, num pauper, num adeo pusilli, & abjecti animi, ut periculum sit, ne si

D d d 2

ipſi

ipſi ſatisfactio iuſta præſcribatur, aut animo con-
cidat, aut eam implere nolit. Hac igitur omnia
& alia ejus generis animadvertenda eſſe, appetet
ex Epiftola Leonis 77. ad Nicetam Aquilejen. E-
pilcopum c. 5. & 6. quæ in hoc titulo continentur,
in qua jubet ipſe Leo haberi rationem ſenilis a-
tatis, & morbi, & periculorum, & aliarum rerum,
quæ accidere poſtunt. Conſtat item ex Innocent.
III. in c. Deus qui de poenit. & remiſſ. cuius hæc
ſunt verba: Cæterum cum poenitentia non tam
ſecundum quantitatem excessus, quam poeniten-
tis conſtrictionem, per discreti Sacerdotis arbi-
trium ſit moderanda, penſata qualitate perſo-
narum, ſuper fornicatione, adulterio, homici-
dio, perjurio, & aliis criminibus, conſideraris
circumſtantias omnibus, competentem poenitentia-
m delinquentibus imponatis, prout ſaluti eo-
rum rideritis expedire. Haſtenus Innoc. Sunt
præterea alia decreta in hoc titulo, quibus idem
probatur, immo & in poenitentia ſolemni, licet
crimen ſit publicum, atque ita puniſio illa perti-
neat ad aliorum exemplum, etiam jubet D. Leo
eos, qui poenitentiam imponunt, hæc omnia con-
ſiderare, ut patet ex ep. illa ad Nicetam, in qua
ſine dubio loquitur de poenitentia ſolemni, cum
ſiat ibi mentio de impoſitione manus Epifcopi. I-
taque, ut omnia paucis complectuntur, cum poenitentis
eſt animo, & corpore robustus, & nihil obſ-
tat quominus poenas justas perſolvere poſſit, certe
non ſatisfaciet ſuo muneri Sacerdos, ſi peccatis
gravibus exigua quamdam ſatisfactio im-
ponat, ut conſtat ex iis, quæ a principio pro-
poſita ſunt: at vero cum obſtent impedimenta, quæ
ſupra ſunt allata, tunc opera pretium erit Sacer-
doti eipſum uiri lenitate, & arbitrio prudentis viri,
ita poenas temperare, ut quoad iuste fieri poſſit
ſaluti conſulat poenitentis. Poſt autem hæc
conſirmari auctoritate Concilii Trident. Sess. 14.
in doctrina de Sacramento poenitentia cap. 8.
cujus verba hæc ſunt: Debent ergo Sacerdotes
Domini quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit
pro qualitate criminum, & poenitentium
facultate jalutares, & convenientes ſatisfactio-
nes injungere. Hæc Synodus. Ex quibus appetet
etiam ex mente Concilii, plurimum pendere hoc
negotium ex arbitrio, & prudentia Sacerdotis,
cum non ſolum qualitatem criminum, ſed etiam
poenitentium facultatem conſiderare debeat.

In Partis II. Lib. XIV. Titulum XIII.

DUplex in jure antiquo reperitur poenitentia,
alia publica, & alia privata. Rursus publica
in duas partes dividitur, altera enim eſt ſolemnis,
quæ tantum criminum gravium cauſa olim impo-
nebatur: altera vero publica, & non ſolemnis: de
illa publica, quæ ſolemnis eſt agitur præcipue hoc
loco. Illud autem a principio obſervandum eſt
hanc poenitentiam licet a recentioribus ſolemnis
dicatur, vix tamen apud antiquos ſolemnum um-
quam appellari, ſed tantum publicam, quod faci-
le colligi poſt ex decretis, quæ ſunt in hoc libro.
Cum enim hæc permulta ſint, nusquam eſt men-
tio poenitentia ſolemnis, ita ut revera appellatur
hoc nomine. At vero quia recentiores fere omnes
utuntur hoc vocabulo, diſtinguntque hanc fo-

lemonem ab ea, quæ tantum eſt publica, viſum eſt
ab illorum ſententia non recedere, cum contro-
verſia hæc non ſit de re, ſed tantum de nomine.
Præſertim cum perſpicuitatis cauſa hoc nomen
videatur inventum, cum enim multe cæremoniæ
ſint propriæ illis poenitentia publicæ, quæ modo
appellatur ſolemnis, merito ut diſtingueretur ab
alia, fuit ſolemnis nominata; ſed jam ad rem de-
veniamus. In ſolemni poenitentia, de qua nunc
agitur, ſervabantur varii ritus, & cæremoniæ, ut
patet ex decretis, quæ ſequuntur. Nam ut omit-
tam c. In capite quadraginta, quod ex Con-
cilio Agathensi afferit Gratianus dicit. 40. quam-
vis modo in eo Concilio non reperiatur, extant
multi alii Canones de hac re. Primum non po-
terat hæc poenitentia imponi in iuſtu Epifcopi, ut
patet ex Conc. Eliber. quod in hoc titulo con-
tinetur, & ex c. ult. de Maledicis. Præterea non
poterat poenitens, niſi ab Epifcopo, aut ex ejus
præſcripto a presbytero reconciliari, ut conſtat
infra toto titulo proximo. Item imponebantur
illi manus, de qua cæremonia magna mentio eſt
variis in locis, ut in Concil. Agathen. c. 15. quod
ſupra extat tit. XI. Carth. III. c. 32. & Afric. c.
10. quæ ſunt in hoc titulo, & Carthag. V. c. 2.
infra tit. 22. Immo hæc cæremonia adeo erat pro-
pria poenitentia publicæ, ut presbyteris, & dia-
conis, qui prohibeantur propter scandalum publi-
ce poenitere, non poſſent, ſi in peccata fuſſent
lapſi, manus imponi, ut patet ex hoc libro tit. 22.
ac ſi hæc cæremonia potiſſimum efficeret, ut poenitentia
eſſet publica. Merito autem tunc diceba-
tur poenitentia publica cuſum imponebantur manus,
nam id fiebat in Ecclesia præiente populo, deli-
gebatque ad hanc cæremoniam locus maxime
editus, & conſpicuus, unde ipſe poenitens ab o-
mnibus cerneretur, præterim cuſum crimen erat ad-
modum notum, & vulgatum, ut appetet ex Con-
cil. Carth. III. c. 32. hoc tit. in quo hæc verba
ſunt: Cuius poenitentis publicum, & vulgatum
crimen eſt, quod totam Eccleſiam moverit, ante
Abſide ei manus imponatur. Hæc Conc. Carth.
Erat autem Abſis ea Eccleſiæ pars, quam nos tri-
bunam vocamus, ex quo loco ab omnibus perſipi-
ci poterat. Imponebat præterea Sacerdos cilicium
capiti ipsius poenitentis, tondebat item illum, ſi
vir erat, ſi autem foemina, jubebat eam caput te-
gere velo: cogebat etiam eumdem poenitentem
veſtes ſaculares diuſſire, iſque indui, quæ pro-
pria erant illius status. Quæ omnia colliguntur ex
Concil. Agath. c. 15. & ex Tolet. III. c. 8. 5. tit.
XI. Erant autem poenitentes in templo ſegregati,
& ſejuſti ab aliis fidelibus, privatique perceptio-
ne Sacramentorum. Neque vero erat unus tan-
tum locus illorum, ſed ut erant variis illorum gra-
duis, ita etiam erant varia loca eisdem destinata,
paulatimque habita ratione temporis, quod illis
ad agendam poenitentiam erat conſtitutum, ex
uno in aliud miгrabaat; quæ omoia aperie con-
ſtant ex multis decretis, quæ paſſim apud ve-
teres Synodos & antiquos Patres reperiuntur: ex-
tantque permulta infra in titulis, qui ſunt de poenitentiis,
quæ fuerunt olim variis criminibus præ-
scriptæ, ubi legi poſſunt.

A prin.

A principio itaque erant pœnitentes extra januam, & locus ille dicebatur *Fletus*. Deinde post certum temporis spatum ingrediebantur, sed erant prope januam ab aliis segregati, & tunc dicebantur *Audientes*, quia intererant iis, quæ in Missa a principio legebantur, & finito Evangelio discedebant cum Cathecumenis. Postea jam communicabant in oratione, & egressis cathecumenis remanebant adhuc in templo, seque in oratione substernebant, deinde exibant simul omnes, neque poterant adesse quo tempore communicabat Sacerdos, & alii fideles, & hic status dicebatur *Substratio*. Sequebatur tandem alias gradus, & ultimus eorum, qui aderant ad finem usque sacrificii, non tamen erant oblationis participes, sed adhuc abstinebant à communione, & hic locus, sive hic gradus dicebatur *Consistentia*, & qui in illo erant dicebantur *Consistentes*. Denique absoluto jam pœnitentia tempore reconciliabantur ab Episcopo, & communicabant cum aliis. Hæc servabantur, præsertim apud Græcos, ut patet ex epistola Basiliæ ad Amphiloch. in qua multa sunt de pœnitentiis, quæ variis criminibus erant constituta, & de his pœnitentium gradibus: item ex Epist. Greg. Nyssen. ad Letojum, & præsertim ex Gregorio Thaumaturgo, qui aperte singulos gradus, & singula loca in epistola canonica c. 11. describit: *Fletus*, inquit, *seu luctus est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fidèles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est, intra portam in ferula, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad cathecumenos, etiam illinc egredi. Audiens enim, inquit, Scripturas, & doctrinam eiiciatur, & precatio ne dignus censeatur. Substratio autem, seu substratio est, ut intra templi portam stans cum cathecumenis egrediatur. Congregatio, seu consistencia est, ut cum fidelibus consistat, & cum cathecumenis non egrediatur: postremo est participatio Sacramentorum.*

Hactenus ea proposita sunt, quæ in primis erant usitata. Illud tamem certum est magnam fuisse in hisce rebus varietatem, aliamque plerumque esse Patrum Græcorum, & aliam latinorum consuetudinem, ut patet, si utrorumque decreta inter se conferantur, quod facile fieri potest cum infra hæc & illa in variis titulis extent. Præterea licet nonnulli dicant criminibus gravibus pœnitentiam septem annorum fuisse olim destinatam, tamen revera etiam magna est in hac re dissimilitudo: habetur enim ratio gravitatis ipsorum criminum, & aliquando decernuntur plures, aliquando pauciores anni, immo de uno, & eodem crimine non omnes Patres semper convenientur, non solumque discrepant latini a Græcis, sed neque Græci semper inter se consentiunt, ipseque Basilius, & Gregorius Nyssenus, cum sint fratres & viri sanctissimi, nonnumquam dissident inter se, ut constat ex epist. Bas. ad Amphiloch. & Gregor. Nyssen. ad Letojum. Præterea neque in modo agendæ pœnitentia intra illud temporis spaciū, quod designatum est, omnes conveniunt, aliquando enim præscribuntur jejunia, & alia pœnæ graviores, aliquando vero leviores,

& plerumque modus agendæ pœnitentia magna ex parte relinquitur superioris arbitrio, eidemque committitur potestas utendi misericordia erga pœnitentem, si dignus illa videtur, ut constat ex Concil. Ancyran. c. 1. 2. 5. & ex aliis multis Patrum decretis. Quamvis autem certa pœnitentia criminibus gravibus ex canonum præscripto esset constituta, ut patet ex hoc tit. cogerenturque pœnitentes illam suscipere, tamen etiam nonnulli, licet crimina non essent manifesta, sua sponte se pœnitentia legibus abstringebant, interveniente tamen Episcopi autoritate, sine qua, ut dictum est, nemo poterat hujusmodi agere pœnitentiam. Cum autem petebat aliquis sibi fieri potestatem publice pœnitendi, solebat Episcopus considerare ætatem, statum, mores, & alia hujus generis. Neque enim facile cuiquam permettebat hoc vita genus aggredi, ne fortasse postea leviter ab illo statu discederet. Itaque adolescentibus vix fiebat hæc potestas, ut est apud Concil. Agathen. c. 15. in quo hæc verba sunt: *Juvenibus pœnitentia non facile committenda est propter ætatis fragilitatem.* Idem etiam est apud Concil. Aurel. III. c. 24. Immo in Concil. quodam Rom. 284. Episcoporum c. 8. designatur ætas XL. annorum. Erat item necessarius, si pœnitens uxorem habebat, illius consensus, ut appareret ex Concil. Arelat. II. c. 22. & ex Aurel. III. cap. 24. Ipsi autem pœnitentes non poterant (a) interesse conviviis, neque delitiis, non utebantur vestibus consuetis, sed aliis (b), quæ erant pœnitentium statui accommodatae, non dabant (c) operam negotiis sæcularibus, immo quia tempus destinatum agendi pœnitentiam præcipue erat Quadragesima, cessabant (d) tunc lites, & judicia, illud enim observabatur, ut quarta feria in capite jejunii manus (e) pœnitentibus imponebantur ad vacandum tantum pœnitentia. Utebatur item Episcopus quibusdam cæremoniis, de quibus est mentio in c. In capite quadragesimæ, licet hoc cap. ut supra dictum est, non extet in Concilio Agathensi, ex quo dicitur esse depromptum. Postea autem reconciliabantur die dominicæ cœnæ, ut asserit Innoc. in epist. ad Decentium Eugub. c. 7. *De pœnitentibus*, inquit Innoc. qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Hæc Innoc. Si autem hi graviter ægrotabant, accipiebant Eucharistiam ante quam tempus reconciliationis accederet, ut ait ipse Innoc. in eodem loco, & constat infra tit. 17. de pœnitentibus, qui ex vivis excedunt, & ex duobus titulis qui proxime sequuntur, in quibus ea omnia, quæ ad pœnitentes ægrotos pertinent, sive ad eos, qui morbo oppressi pœnitentiam sibi dari postulant, late continentur.

Illud autem observandum est hanc pœnitentiam solemnem semel solitam fuisse tantum imponi, ut apparet ex Syricio Pontifice Max. epist. 1. c. 5. cuius hæc sunt verba: *De iis, qui acta pœnitentia, tamquam canes, aut sues, ad vomitus priſtinos, & volutabra redeentes, quorū pro-*

(a) Bar-
ein. c. 7. &
Cabiloni sub
Carol. c. 25.
(b) Bar-
cin. cap. 6.
Agath. c. 15.
(c) Bar-
etn. c. 7. Mel-
den. c. 76.
(d) Mel-
den. c. 76.
[e] Eod.
cap. 76.

professam incontinentia generati post absolucionem filii prodiderunt, de quib. quia iam sufficiunt, non habent paenitendi, id duximus decernendū, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur. Hac Syricius, qui aperte affirmit hujusmodi homines non habere jam suffugium paenitendi. Idem etiam probatur ex D. August. epist. 54. qui de eadem paenitentia ita loquitur: *Quamvis caute, & salubriter provisum sit, ut locus humillimae paenitentiae semel tantum in Ecclesia concedatur, ne medicina nimis utilis vilis habeatur, tamen quotidie peccantibus numquam pro paenitentia venia negatur.* Hac D. August. dist. 10. c. 61. qui aperte ait *humillimam paenitentiam, hoc est solemnum, semel in Ecclesia concedi.* Item D. Ambr. lib. 2. de paenit. c. 10. mentionem faciens de hac solemni paenitentia, haec scribit: *Sicut unum est baptisma, ita unica est paenitentia;* & paulo post, *non est secundus locus paenitentiae.* Hac D. Ambr.

Præterea, qui egerant hanc solemnem paenitentiam, non poterant ad sacros ordines ascendere, ut patet infra tit. 15. & lib. 27. tit. ... Item non poterant uxores ducere, ut constat infra tit. 16. qui inscribitur: *Ne paenitentes matrimonium contrahant;* neque vero licebat illis uti matrimonio jam contracto, quam ob causam fortasse, quo tempore quispiam, ut supra dictum est, sua sponte hanc paenitentiam agere volebat, erat necessarius conjugis consensus. Sed in hac re aliquid fuit ipsi remissum, ut est apud Synod. Tollet. VI. c. 8. Immo D. Leo ep. 90. c. 12. ad Rusticum Narbonen. Episcopum non omnino videatur improbare paenitentium matrimonium, si forte juvenes sunt, qui uxores ducunt. Ait enim lib. 3. q. 2. c. ult. *In adolescentia constitutus, si urgente, aut metu mortis captivitatis periculo, paenitentiam gessit,* & postea timens, lapsus incontinentiae juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurret, rem videtur fecisse veniale, si præter conjugem, nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius astimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui paenitentiam gessit, quam castitas perseverans & mentis, & corporis. Haec tenus D. Leo. Sunt præter haec, quæ attulimus, multa alia de paenitentia eorum, qui morti erant proximi, & de illis paenitentibus, qui ante peractam paenitentiam de vita migrabant. Sed de his extant tituli proprii infra XVII. XVIII. XIX. atque h. c. de paenitentia solemnī.

In Parte II. Lib. XIV. Titulum XXI.

IN hoc titulo sunt aliqui canones, qui videntur inter se repugnare, nam in c. 2. & in aliis nonnullis illi ipsi, qui dignam paenitentiam egrent, peracta paenitentia, ita recipiuntur, ut possint Sacerdotio sicut antea fungi, & alia munera sine ulla nota praestare. At vero sunt alii canones, qui lapsos, etiam acta paenitentia, nullo modo permittunt amplius in Sacerdotali munere versari, ut patet ex c. 3. & ex aliis qui in hoc eod. tit. continentur. Immo ipse D. Gregorius, ut de aliis taceam, videtur in hac disputatione

quodammodo secum pugnare, nam in lib. 3. registri epist. 26. quæ in hoc titulo extat, aperte ait, eos, qui sacris sunt initiati, non posse, si lapsi sunt, ad altaris ministerium redire. Idem etiam afferit lib. 4. epist. 17. ad Constantium Episcopum Mediolanen. & lib. 6. ep. 39. & lib. 7. epist. 25. In eadem etiam videtur esse sententia in lib. 4. epist. 5. & 16. ad Venantium Episcopum Lunen. qui omnes canones sunt in hoc tit. apparentque ex illis hanc esse apertam, & certa D. Greg. sententiā. At vero idē D. Gr. non casu, aut tamquam aliud agens, sed de hac ipsa quæstione interrogatus a Secundino, nimisrum, num lapsi post actam paenitentiam redire possint ad honores, respondit sine dubio posse, probatque ex multis divinae scripturæ locis, & in primis exemplo D. Petri. Atque ut alia multa omittam, quæ commemorare longum esset, haec verba profert, ex quibus quid ipse sentiat quivis cognoscere potest: *Post dignam, inquit, satisfactionem, creditus posse rediri ad honorem, dicente Propheta, Numquid, qui cadit, non adiiciet, ut resurgatur,* & qui aversus est non revertitur? Hac, & multa alia D. Greg. in ea epist. ad Secundinum, cuius fragmentum extat in hoc titulo. Idem videtur sentire in Homil. 9. in c. 2. Ezechiel, & affertur a Gratiano dist. 10. c. *Quid est hoc?* Sed præter D. Greg. extant item variae, discrepantesque sententiæ aliorum Patrum de hac re, adeoque videntur alii alii repugnare, ut difficultum sit illos conciliare. Nam & Martinus Pont. Max. in epistola ad Amandum lapsos omnino ab honoribus reicit, & licet non faciat mentionem de paenitentibus, tamen ita loquitur, ut quantumvis agant paenitentiam illos nullo modo admittere videatur, ait enim *qui semel post suam ordinationem ceciderit deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotis poterit adipisci.* Haec tenus Martinus, cuius verba non apponuntur in hoc tit. quia non loquitur ibi de paenitentia. In eadem sententia est Concil. Vormac. c. 11. *Sacerdotes, inquit, si in fornicationis inciderint laqueum,* & criminis manifestus, siue ostensus fuerit actus, *Sacerdotii non possunt habere honorem, secundum canonice institutionis auctoritatem.* Item D. Aug. epist. 50. ad Bonifacium ostendit hanc fuisse olim Ecclesiæ consuetudinem, ait enim: *ut constitueretur in Ecclesiæ, ne quisquam post alicujus criminis paenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu permaneat non desperatione indulgentia, sed vigore fastum, & disciplinæ, alioquin contra claves Ecclesiæ datas disputabitur, de quibus dictum est: Quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in celo.* Sed ne forte etiam de ceteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescentis superbe ageret paenitentiam, severissime placuit, ut post actam paenitentiam de damnabili crimine nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis, medicina major, & varior effet humilitatis. Hac D. Aug. qui, ut ex his verbis patet, aperte affirmit, non solum in Ecclesia fuisse constitutum, ut paenitentes non ascen-

ascenderent ad clerum, sed etiam ut qui jam clerici essent, non possent redire ad clerum, aut in ipso clero permanere. Sunt item alia multa, ex quibus haec pars confirmatur, quae brevitatis causa prætermittuntur.

At vero extant etiam alia Conciliorum, & Pontificum decreta, & item Sanctorum Patrum testimonia, quæ contrariae sententiae videntur sine dubio favere. Nam præter illa, quæ supra allata sunt ex D. Greg. ad Secundinum, extant alia in hoc tit. ex Calist. in epist. 2. & ex Concil. Tolet. 13. c. 10. & ex Concil. Hibernen. sub Leone III. Et ut haec omittamus, quæ sunt in promptu, extant exempla multorum, qui post pœnitentiam recepti sunt, cum tamen in gravissima criminis incidentia, ut patet ex Theodoreto, qui cum Nestorianam hæresim fuisse amplexus, tamen postea resipiscens fuit in Concil. Chalcedonen. in Episcoporum numero receptus. Item Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus in pseudosynodo Ephesina secutus fuit partes Eutychetis, & Dioscori hæreticorum, at vero cum hæresim illam postea detestaretur, restituit illum in pristinam dignitatem concilium item Chalcedon. Præterea Nicæna Synodus II. generalis post longam disputationem, quam habuit de hac re, tum in prima, tum in tertia actione, collocavit in sua sede Basilium Episcopum Ancyranum, & alios Episcopos, qui Iconomachorum hæresim fuerant secuti, peccato suo dolentes, & eamdem hæresim detestantes, eisdemque post abjurationem inter Episcopos sedere jussit. Afferunt multa Patres de hac re in illo synodo, præsertim ex D. Athanasio, & Basil. & tamen ex eorum sententia Episcopos illos ab Iconomachorum hæresi redentes, recipiendos esse decernunt. Immo licet Athanasius hæreticorum duces, & antesignanos in pristinum honorem restituendos neget, illi Patres re diligenter perspecta, ab ejus sententia discedentes, etiam eos, qui hæreticorum Principes fuerunt, recipiendos esse censuerunt, exemplo Eustathii, & Juvenalis, quorum alter receptor fuit a D. Basilio, & alter a concil. Chalcedonensi. Deinde haec eadem sententia, nimis restituendos esse peccatores acta pœnitentia in pristinam dignitatem, confirmatur auctoritate D. Hieronymi in c. 3. Micheæ, & in c. 3. Malachiæ, & etiam c. 2. Concil. Agat. in quo haec verba sunt: *Contumaces clerici ab Episcopis corriganter, & si qui prioris gradus elati superbia, communionem forte contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina ejus communio tribuantur, ita est, cum eos pœnitentia correxerit rescripti in matricula gradum suum, dignitatemque iusepiant.*

Hæc sunt, & alia hujusmodi, quæ sine dubio videntur facere negotium; si enim dicimus sacerdotes post pœnitentiam ad honores redire posse, & in eodem dignitatis gradu collocari, obstat D. Gregorius, & alii Patres, quos supra in medium attulimus: si autem contrariam sententiam tuemur, & dicimus non posse, videtur repugnare idem D. Gregorius, aduersanturque alii Patres,

& exempla, quæ nuper proposita sunt. Quare danda est opera, si fieri potest, ut constituantur haec controversia. Primum autem illud observandum est, quod in alio loco late continetur, pœnitentiam multiplicem esse, alia namque est publica, quæ in solemnam, & non solemnam dividitur, alia vero est privata. Pœnitentiam solemnam, quam publicam simpliciter antiqui Patres appellare solent, non agebant olim sacerdotes, neque alii, qui sacris erant iniciati, ut patet ex epist. 1. Siricij Pontificis Max. cap. 14. cuius haec sunt verba: *Illud quoque nos par fuimus providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur, Clericorum, & ita post pœnitendum, ac reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem Clericatus adipisci &c.* Idem etiam colligitur ex D. Leone, Epist. 90. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, c. 2. qui loquens de presbyteris, & diaconis lapsis, haec verba profert: *Unde hujusmodi lapsis, ad promerendam misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Hæc D. Leo de presbyteris, & diaconis lapsis. Ob eam autem causam, quia non poterant agere pœnitentiam publicam, non poterant eisdem manus imponi, ut appareat ex eodem D. Leone in eodem loco: *Alienum, inquit, est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut in diaconi gradu fuerint consecrati, si pro crimen accipiunt pœnitendi, quod sine dubio ex apostolica traditione descendit &c.* Probatur etiam ex Concil. Carth. V. c. 11. sed de hac re agitur in tit. proximo, in quo hæc decretum continentur. Licet autem in Concil. Tolet. XIII. c. 10. mentio fiat de Episcopo quadam, quem constat publice pœnitentiam egisse, tum quia ibi Patres loquuntur de manus impositione, tum etiam de reconciliatione, tamen ille fuit fortasse mos illius provinciæ. Nam revera Pontificum decretum, ut probavimus, ex Syricio, & Leone, quorum maxima est auctoritas, aperte vetant, quemquam, qui sacris sit iniciatus, publicam agere pœnitentiam. Illud præterea observandum est, alia delicta esse levia, de quibus modo non est sermo: alia vero esse graviora, in quæ si quis incidit non potest sacris initiari, ut si homicidium commisit, aut si est adulterio, vel de fornicatione, vel de alio crimine magno convictus, ut constat ex c. 60. aut 61. Apostolor. in quo hæc continentur: *Si quis accuseretur de fornicatione, vel de adulterio, vel de alio crimine convictus in Clerum non introducatur.* Item ex Gelas. epist. 1. c. 20. *Comperimus, inquit, horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione submotu, non solum de fastis atrocibus, necessariam pœnitendum non habere, sed nec aliqua correctione penitus succedente, ad divinum ministerium, honoremque contendere.* Hujusmodi etiam si forte subrepserint, tum qui ante peccaverunt, detectos oportere repelliri, quam sacra professionis oblitos, prævaricatoresque sacri propositi proculdubio submovendos. Hæc Gelas. Idem etiam probatur ex Concil. Nicæno. c. 9. & 10. & ex multis aliis decretis, quæ sunt in libro

de

de criminibus tit. de homicidis non ordinandis, & in aliis titulis, in quibus homines improbe ab ordinibus repelluntur. Immo si quis hujusmodi sceleribus abstinetus ordines suscipiebat, deponebatur, quod colligitur ex his, quæ allata sunt ex Gelasio, & in Concil. Nicæo c. 9. & 10. Item si post ordinationem graviter peccabat, eiictebatur ex clero; erat enim depositionis poena omnibus criminibus maximis constituta, ut constat infra ex libro de depositione. Itaque quemadmodum nunc variis quibusdam hominum generibus non patet aditus ad ordines, quos irregularares appellamus, aut propter homicidium, aut propter alias causas, eodem modo in jure veteri licet hoc nomen *irregularitas* non reperiatur, erant etiam multa impedimenta, quibus Christiani ordinum susceptione interdicebantur, & si illos jam suscepserant, prohibebant illorum uso, & administratione, & inter alia impedimenta primum locum obtinebant crima maxima præcipue publica: & quemadmodum nunc, quantumvis quispiam sit irregularis, solent nonnumquam superiores dispensare, illique potestatem facere suscipiendi ordines omnes vel unum, aut alterum tantum, vel utendi iis, quos jam suscepit: eodem modo antiqui dispensabant etiam, & illos, qui ex lege non poterant, solvebant legis vinculo, & ordines suscipere permettebant, aut si jam erant iniciati, eosdem in pristino dignitatis gradu collocabant.

(a) Diff.
61 cap. 3.

His positiis fortasse non erit difficile, hanc controversiam constituere. Primum enim certum est, eos qui publicam pœnitentiam egerunt, non posse ad sacros ordines ascenders, quod colligitur ex toto tit. infra de pœnitentibus non ordinandis. Rationem autem reddit Horm. Papa epist. 4. ad Episcopos Hispaniæ c. 1. cur non expediatur hos ordinari, & licet ipse de Episcopis & Sacerdotibus tantum loquatur, tamen ex ejus verbis poterit item colligi causa, cur pœnitentes efficiantur etiam a reliquis gradibus. Ait enim (a) sed nec de pœnitentibus quisquam quidem ad hujusmodi gradum profanus temerator adspiret. Satis illi postulanti sit venia. Quia conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo fecit esse confessum? Quis enim, quem paulo ante vedit jacentem, veneretur antistitem? Praferens miserandi criminis labem non habet lucidam Sacerdotii dignitatem. Hæc Hormida. Itaque tantum abest ut publice pœnitentes possint sacris iniciari, ut si aliquis fuerit fortasse ordinatus, deponatur, quia non manifestavit se fuisse pœnitentem, ut patet ex Concil. Carth. III. c. 64. Ex pœnitentibus (ait Synodus) quamvis sit bonus clericus non ordinatur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur a Clerico, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talen, etiam ab Episcopatus sui, ordinandi dumtaxat, potestate privetur. Hæc Synodus Carth. Illud tantum in Concil. Toler. I. c. 2. pœnitentibus conceditur, ut si necessitas instat, possint ad minores ordines pervenire. Hæc enim sunt ipsius Concili verba: (b) Placuit ut pœnitentes non admittantur ad Clerum, nisi tantum si necessitas, aut usus exe-

(b) Diff.
10. cap. 68.

gerit, & tunc inter ostiarios deputentur, vel inter lectores, ita ut Evangelia, aut Apostolum non legant. Haec tenus Concil. Tolet. Atque hec de his pœnitentibus, qui non sunt sacris initiati. Nunc reliquum est, ut videamus, an qui jam sunt ordinati possint post pœnitentiam uti suis ordinibus, aut ascendere ad majores ordines. Ad hanc quæstionem dissolvendam, illud tamquam certum statendum est, quod jam supra probatum fuit, non posse presbyteros, aut diaconos, immo neque reliquos Clericos publicam agere pœnitentiam, neque posse illis manus imponi, ut appareat ex titulo proximo; quare cum agimus de eorum pœnitentia loquimur, non de pœnitentia publica, sed tantum de privata. Hoc ita constituto, appareat hos post pœnitentiam redire posse ad suum manus. Non enim quælibet pœnitentia, sed publica tantum afferit impedimentum, ut patet ex his, quæ proposita sunt, & in primis ex Concil. Tolet. I. c. 2. in quo cum pœnitentes prohibeantur a Clero explicat postea Synodus, de quibus pœnitentibus loquatur: ait enim *eum vero pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis, publicam pœnitentiam gerens sub Concilio, diuino fuerit reconciliatus altario*. Hæc sunt Concilii verba. Cum enim in ipsius canonis initio dixerit pœnitentes non esse admittendos ad Clerum, explicat postea his verbis, quæ proposita sunt, de quibus pœnitentibus loquatur. Cum igitur hi, qui sacris sunt iniciati non egerint pœnitentiam publicam, sed tantum privatam, & hæc non obstat, profecto nihil prohibet, quominus acta hac pœnitentia, possint ut antea suo munere fungi: & confirmatur hæc sententia ex D. Gregorio ad Secundinum & ex aliis Patrum decretis, quæ supra in medium adducta sunt. Itaque certum videtur, hos acta pœnitentia non prohiberi suo officio, sed posse illud omnino prestatre. Neque vero obstant, quæ ex eodem D. Gregorio, & ex aliis contra hanc sententiam antea proposita fuerent. Non enim illi Clerici eam ob causam usu ordinum in perpetuum privantur, quia egerunt pœnitentiam, sed quia peccata erant tam gravia, ut illis adjuncta esset depositio. Quemadmodum enim apud nos adjuncta est irregularitas quibusdam delictis, & homicidio, & aliis, ita olim (ut supra dictum est) erat adjuncta depositio, non solum eidem, verum etiam multis aliis, ut appareat ex libro de depositione. Et quemadmodum irregularares nunc nequeunt ordinari, & si jam ordinati sunt, non possunt ordinibus ipsis uti, quantumvis agant pœnitentiam, eodem modo olim inciderant in illa peccata, quibus adjuncta erat depositio, neque poterant ad superiores ordines ascendere, neque præstare munera propria illorum ordinum, quos jam suscepserant. Itaque ut omnia in pauca conferam, si peccatum non erat tam grave, ut haberet depositionem adjunctam, acta pœnitentia, poterat Clericus suis ordinibus uti, ut patet ex Concil. Agath. c. 2. quod supra adduximus. In eo enim Clerici contumaces, & superbi, acta pœnitentia, statim suum gradum recipiunt. At vero si ipsi criminis adjuncta est depositio,

tio, etiam acta pœnitentia, adhuc remanet impedimentum, non propter pœnitentiam, sed propter depositionis pœnam, quæ crimen ipsum comitur. Ex his autem solvuntur argumenta omnia, quæ contrariæ sententiæ videntur favere. Nam D. Gregor. in epistolis illis, de quibus supra mentio est facta, numquam loquitur de pœnitentia, ac si hæc impediret, sed loquitur de ipso lapsu, & de ipso peccato, cui propter ipsius gravitatem adjuncta erat depositio. Item Martinus Papa in epistola ad Amandum Episcopum aperte verba facit de eo, qui propter criminis gravitatem incidit in depositionem. Neque vero his repugnant ea, quæ adduximus in epistola ad Bonifac. D. Augustini, nam ibi D. Aug. loquitur de pœnitentia publica, quæ acta fuit ante susceptionem ordinum, qui enim illam neque potest ordines suscipere, & si forte suscepere, repellitur ab illis, neque fit ipsi potestas eisdem utendi, quod supra probatum est, ex Conc. Carth. IV. c. 68. Cum igitur Clerici non agant pœnitentiam publicam post ordinum susceptionem, perspicuum est locum illum D. Aug. intelligendum esse de iis, qui ante ordinationem pœnitentiam publicam egerunt.

Sed quaret quispiam; si criminibus gravibus erat olim adjuncta depositio, quoniam modo fuerint recepti Episcopi illi, de quibus supra mentio facta est, nimirum Juvenalis, & Theodoreus in Concil. Chalcedon. & tot aliis Episcopi in Conc. Nicæn. II. cum hi omnes fuerint hæretici, & ex hæresi ad Ecclesiam Catholicam fuerint reversi. Sed facile est hunc nodum dissolvere. Nam hi omnes fuerunt ab illis Conciliis soluti ea lege, qua prohibebantur redire ad suos honores, aut, ut apertius more usitato loquar, obtinuerunt illi dispensationem ab ipsis Conciliis. Licet pœnae depositionis (ut dictum est) plerumque crimina comiterentur, tamen ut hac nostra ætate, ita etiam olim, superiores justis de caussis solebant dispensare, ut appareat ex multis exemplis, præfertim cum Ecclesiæ utilitas id postulare videbatur. Aliquando autem non dispensabant omnino jure omni ex parte, concedebant enim tantum iis, qui lapsi fuerant, facultatem utendi ordinibus, quos suscepserant, sed non ascendendi ad superiores. Itaque nonnumquam majore, nonnumquam vero minore utebantur indulgentia, prout ratio temporis, & populi exemplum, & ipsius peccatoris dolor postulabat. Aliquando vero, quia ita expediebat, aut ipsi peccatori, aut alii, vel deinde quia nulla erat causa, quæ moveret superiorem ad dispensandum, cogebatur ipse peccator parere legi, & ab usu ordinum penitus abstinerere, præfertim si peccatum non solum fuerat grave, sed etiam publicum, civiumque animos offenderat, vel tandem cum ex alia caussa gravi oportebat pœnas a lege constitutas omni ex parte persolvi.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum ult.

IN hoc titulo, & in aliis, qui sequuntur, nihil fere occurrit observatione dignum. Ea enim, quæ ad hos titulos pertinere videntur, supra in titulo de pœnitentia publica explicata sunt. Illud tantum animadvertisendum est, has pœnitentias,

Tom. V.

quæ in his titulis continentur, proprie spectare ad pœnitentiam publicam solemnem, quæ in foro exteriori imponi solebat. Est autem magna varietas in hujusmodi pœnitentiis, sive pœnis: nonnulli enim Patres, & Synodi eas constituant graviores, & nonnulli leviores. Magna autem ex parte (excepto Concil. Eliberit, cujus severitas in vendicandis flagitiis summa est) mitiores sunt synodi & Patres Latini quam Græci, quamvis etiam apud Latinos non desit plerumque severitas, ut patet ex Concil. Arelat. I. c. ult. & ex Tolet. I. & etiam, ut illa antiquiora omittam, ex Concil. Vormatiens. & Triburien. quæ licet illis recentiora sint, tamen multæ pœnitentiae, quæ erant jam absolutæ, in his renovantur, & aliæ gravissimæ constituuntur. Poterat autem has pœnas (ut alias dictum est) Episcopus temperare, & erga pœnitentes uti misericordia. Non autem accipiendi sunt hi anni destinati pœnitentiae, ac si quotidie oporteret pœnitentes in jejunis, & afflictione versari. Nam licet in nonnullis conciliis latinis de carena, hoc est de jejunio quadriginta dierum sit mentio, quo tempore quotidie sine ulla intermissione pœnitentes jejunabant, postea tamen in reliquo annorum spatio, feria secunda, & quarra, & sexta magna ex parte erant jejunis destinatae. Constat autem in hac re magnam olim varietatem extitisse, tum propter variis Episcoporum, & regionum usus, tum etiam propter gravitatem, aut levitatem ipsius peccatoris culpam, & in primis propter majorem, aut minorem ejusdem dolorem. Quæ omnia, quia perspicua sunt, & patent aperte ex multis decretis, quæ in his titulis continentur, supervacaneum erit plura de his rebus in medium proferre. Sunt etiam permulti canones, in quibus non designatur certa pœnitentia, sed tantum jubetur, qui peccavit, pœnitentiam agere, tunc autem, si non est alius canon, qui eam præscribat, videtur modus, & tempus pœnitentiae ipsius Episcopi arbitrio relinquiri. Hæc sunt, quæ generaliter de his titulis occurrent.

Reliquum jam ultimo loco est ordinem, quem secuti sumus in collaudandis his titulis, explicare, quam satis erit brevissime attingere. Primum enim collocantur pœnitentiae, quæ sunt constitutæ criminibus, quæ contra Deum proprie committuntur. Deinde illæ, quæ contra proximum, & ad extremum aliæ, quæ sunt destinatae peccatis, quæ tantum, aut præcipue ipsis peccatoribus nocent. Immutatur autem aliquando hic ordo (præfertim in pœnitentiis, quæ sunt incontinentiæ, sive luxuriæ peccatis præscriptæ) varias ob causas, quas longum modo esset commemorare. Omitto nunc nonnulla alia, quæ ad eundem ordinem spectant, quia sunt perspicua, & nulla explicatione indigere videntur.

In Partis II. Librum XV.

Licet non reperiantur multa decreta de extremitate in jure veteri, & propterea omnia in unum tantum titulum sint conjecta, tamen ex illis constat, quanta veneratio habita fuerit semper huic Sacramento. Fit autem mentio de materia in multis capitibus, de ministro autem in

Eee

de-

decreto deprompto ex Innoc. in epistola ad Decentium ad Episcopum Eugubinum, in quo aper te Sacramentum vocatur. Sed ut omittamus hæc, & alia decreta, quæ sunt in hoc titulo, certe, ut docet Concil. Trident. sess. 14. de institutione Sacramenti extremæ unctionis, & materia, & forma, & minister, aperte colligitur ex verbis illis D. Jacobi, quibus hoc Sacramentum a Christo institutum ille promulgavit: *Infirmatur, inquit D. Jacobus, quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ugentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Hæc D. Jacobus. Quibus verbis (quemadmodum idem Concil. Trident. ait) ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum: formam deinde esse illa verba: *Per istam unctionem &c.* Præterea ex illis verbis, *& oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Colligitur effectus hujus Sacramenti, & tandem profert in medium idem D. Jacobus ministros, quos esse dicit Ecclesia presbyteros, quo nomine, & loco, ut est in eodem Concil. Trident. non ætate seniores, aut primiores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manum presbyterii: immo qui hos esse ministros negat, aut alios præter Episcopos, aut Sacerdotes ab Episcopis ordinatos, ministros esse affirmat, aut extremam hanc unctionem assertit non esse Sacramentum a Christo institutum, aut non conferre gratiam, neque remittere peccata, neque alleviare infirmos, idem Concilium in can. 1. 2. & 4. anathemate damnat.

Quod autem ad materiam hujus sacramenti attinet, observandum est ipsius materiam esse oleum tantum olivarum, & ab ipso Episcopo benedictum, ut constat ex Concil. Florent. in decreto de instruct. Armen. & ex eodem Trident. sess. 14. cap. 1. de institutione hujus sacramenti, & ex usu perpetuo Ecclesiæ. Facit item mentionem hujus olei benedicti, quod appellat infirmorum, Innocent. III. in c. unico de sacra unctione.

Occurrunt hoc loco multas, quæ a Theologis disputari solent de his, qui possunt suscipere hoc sacramentum. Primum autem illud certum est ægrotis adhibendam esse hanc extremam unctionem, ut patet ex Concil. Trident. d. Sess. 14. cap. 3. de institutione hujus sacramenti, cuius verba hæc sunt: *Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vite constituti videantur. Unde & sacramentum exentium nuncupatur, quod si infirmi post suscepit hujus unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discriminem inciderint.* Haec tenus Concil. Trident. Itaque non potest sanis conferri hoc sacramentum, quantumvis sint (ut est communis Theologorum

sententia) in periculo mortis, immo licet illis jam mors immineat. Non potest item (ut iidem sentiunt) illis conferri, qui leviter ægrotant, aut infantibus, aut furiosis, & amentibus, qui semper carent usu rationis. Præterea de numero unctiōnum sunt aliquando varii usus, licet enim quinque tantum sint necessaria, solent tamen nonnulli alias addere, ut patet ex Concil. Florent. in quo septem enumerantur, & ex usu multarum Ecclesiæ, in quibus est de numero unctionum magna varietas. Occurrunt præterea multæ aliæ quæstiones, ut de loco, in quo est unctione adhibenda, cum ægrotus illis membris caret, quæ ungues solent, sed de hac re, & de aliis ejus generis non est hujus loci disputare. Agunt de hoc sacramento Theologi, scholastici in 4. sent. dist. 2. 3. qui hec omnia copiose persequuntur.

In Partis II. Librum XVI.

LIcet ratio ordinis exposcere videatur, ut singulis sacramentis ea, quæ ad materiam, & ad formam pertinent, statim in ipso initio (nisi forte aliud ipsa disputatio aliquam ob causam postuleat) aut saltem non longe ab initio propounderantur, tamen in hoc libro hujusmodi ordo tenueri non potest, quia vix ullum decretum in jure veteri reperiri potuit de forma sacerorum ordinum: immo neque de materia, exceptis duobus, in quibus est mentio patenæ, & calicis vacui, qui datur subdiacono in ordinatione. Extant itaque multa etiam de iis, qui ordines præsertim sacros pervenire possit, de diebus ad suscipiendos ordines ab Ecclesia constitutis, & de aliis rebus ejus generis; at vero de materia, & de forma præsertim illorum ordinum, quos sacros, sive maiores vocamus, (exceptis illis decretis, quæ diximus extare de materia subdiaconatus) vix est mentio in veteribus Conciliis, aut in Pontificum Epistolis, ex quibus præcipue constat hæc collectio. Sunt sane nonnulla de minoribus ordinibus, & etiam de impositione manuum in conferendo presbyteratu, & diaconatu, de quibus agitur in titulo VII. qui est de cæremoniis, quæ in ordinatione presbyteri, & reliquorum clericorum observari solent, sed de his, & de materia minorum ordinum ibi commodiū agetur. De materia autem, & forma sacerorum sive majorum ordinum agitur in Pontificali Romano; extant etiam multa in Concil. Florent. in decreto de instruct. Armen. in quo hæc verba sunt: *Sextum Sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem conferatur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum datationem, subdiaconatus vero per calicis vacui cunctæ patena vacua superposita traditionem, & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotis talis est: accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Ro-*

Romanō late continetur. Hæc concil. Florent.

Illud autem in controversiam cadit quod sint ordines, sunt enim nonnulli, qui novem esse putant, ad illos enim septem, de quibus omnes conveniunt, adjungunt duos, nimirum primam tonsuram, & Episcopatum, & in hac sententia sunt magna ex parte juris Pontificii Doctores; Theologi autem neque primam tonsuram, neque Episcopatum in ordinum numero ponunt. Atque ita septem tantum esse dicunt. Et certe, quod attinet ad primam tonsuram, videtur Theologorum opinio valde probabilis, nam neque in Concil. Flor. neque in Trident. numeratur inter Ecclesiæ ordines, neque D. Isidorus in libro de ecclesiasticis officiis eam ordinem appellat. Hanc autem ob causam prima tonsura non censetur ordo, quia

[a] in 4.
diff. 24. c.
anac. art. 2.
tur potestas ad exercendum aliquem actum in Ecclesia, quem sacerulares ex officio exercere non possunt, at vero per primam tonsuram non datur ulla potestas, ut appareat, sed tantum, qui eam accipiunt, destinantur ad canendas laudes divinas, quod munus etiam laici praestare possunt. Atque ita cum ordines conferantur tantum in Missæ celebratione, ipsa prima tonsura quamcumque hora conferri potest. Neque his obstat c.

Cum contingat, de ætat. & qualit. ordin. ex quo Abb. & alii colligunt primam tonsuram esse ordinem, quia revera ibi ab Innoc. III. ordo nominatur, nam in eo capite nomen *ordo* (ut multi

(b) VII.
in summ. de Sacram. q.
219. Sotus diff. 24. q. 2.
art. 1.

Theologi interpretantur) sumitur improprie, nimirum lata quadam significatione pro dispositio-

ne ad ordines ipsos.

De Episcopatu est major dubitatio, possuntque multa afferri pro utraque parte. Sententia autem c) D. Thom. & communis Theologorum est Episcopatum non esse ordinem, neque conferri Episcopo in consecratione novum characterem, sed ipsum nec characterem sacerdotalem extendi ad illa munera praestanda, quæ sunt propria ipsius Episcopi, nimirum ad administrandum confirmationis sacramentum, & ad conferendos ordines sacros, & certe videtur hæc sententia valde probabilis, potestque primum confirmari ex hoc communī Theologorum consensu, quorum

ibid. art. 2. auoritas magnum pondus habet, cum illorum in primis sit de his rebus disputare, & sententiam ferre. Deinde si Episcopatus esset sacramentum, constaret ex materia, & forma, at vero Episcopatus neque videtur habere materiam, neque formam sacramenti, ut patet ex Pontificali Romano. Non enim aut baculum pastoralem, aut anulum, aut librum Evangeliorum, aut mitram licet cum orationibus imponatur, quisquam materiam esse dicit: non item quidquam ibi est quod forma possit appellari. Poisunt alia multa pro hac sententia afferri, quæ brevitatis causa modo prætermittuntur.

Sunt itaque de sententia Theologorum septem tantum ordines tres majores, sive sacri, & quatuor minores, & de hoc numero omnes consentiunt. Sed illud dubitationem habet num quilibet ordo sit sacramentum, & imprimat characterem: & quia de charactere ordinis nihil ha-

nus dictum fuit, animadvertisendum est, in hoc sacramento quemadmodum in baptismo, & in confirmatione characterem in animo imprimi, ut patet ex Concil. Florent. in decreto de instruct. Armen. & ex Trident. Sess. 23. in doctrina de sacramento ordinis cap. 3. *Est autem character ut alias dictum est, & appetit ex eisdem Conciliis, spirituale quoddam signum indeleibile quod imprimitur in anima.* Hoc igitur posito de ordine sacerdotis, sive presbyterii nulla est, neque potest esse dubitatio. Certum enim est esse sacramentum, & in eo imprimi characterem: de aliis autem ordinibus non omnes inter se consentiunt. Licet enim D. Thom. [d] existimet in omnibus tam majoribus, quam minoribus imprimi characterem, & conferri gratiam, atque ita quemlibet esse sacramentum, sed ab ejus sententia, quod attinet ad minores ordines, discedunt multi, & etiam illius discipuli amplectuntur contrariam opinionem, ut Cajet. in Opusculis tom. 1. opusc. 11. & Sot. in 4. dist. 24. q. 1. & alii, & ratio eorum præcipua est, quia actiones illas, quæ propriæ sunt minorum ordinum, non videntur esse tanti momenti, ut indigeant characterem, ut gratia sacramentali. Immo & subdiaconatum, & etiam Diaconatum negat Durandus in dist. 24. q. 2. esse sacramentum, ejusque opinionem probabilem putat Cajet. in opusculis tom. 1. tract. 11. & Vict. in summa, assertque ipse Durandus multa argumenta, quibus sententiam suam præferit de subdiaconatu conatur confirmare. Sed certe omissis argumentis, (neque enim est hujus loci de hac re accurate disputare) cum permulti Theologi sentiant Diaconatum, & Subdiaconatum sacramentum esse, optimum videtur concilium ab illorum sententia non recedere.

Itaque ut omnia, quæ dicta sunt, in pauca conferantur, quamvis in hoc libro exigua sit mentio de materia, & de forma hujus sacramenti, tamen continetur in Concil. Florent. & in Pontificale. Constat autem ordines ut minimum esse septem, nempe tres majores, qui peculiari nomine vocantur sacri, & quatuor minores: ex his omnibus unus ordo est præcipuus nimirum presbyteratus, sive sacerdotium, quod vere, & proprie est sacramentum, & imprimit characterem, de quo nulla apud Catholicos est, aut fuit umquam dubitatio. De reliquis autem, præsertim de omnibus ordinibus, est apud aliquos controversia, ut constat ex his, quæ proposita sunt. Quoniam autem non est hic locus longis disputationibus, supervacaneum erit de his plura in medium afferre.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum I.

IN lib. IV. in quo agitur de Episcopis, est titulus, qui viderur huic similis. Ibi namque tit. est, *solus Episcopus confert sacros ordines.* Sed certe interest plurimum inter hunc, & illum, nam hic titulus latius patet, in quo non solum est sermo de Episcopo, qui est minister omnium ordinum, sed de aliis etiam, qui possunt ordines minores conferri. Licet enim solus Episcopus possit sacerdotes constitui, & nullo modo presbyteri, at vero minores ordines possunt etiam Abbates in suis cœnobij, si presbyteri sunt, suis monachis

E e e 2

(a) In add.
ad 3. p. 9.
35. art. 2.

tri-

tribuere, ut patet ex Concil. II. Nicæn. can. 14. qui in hoc titulo continetur, & ex cap. *Cum conjungat*, de ætate, & qualitate ordinandorum. Quamvis autem in his capitibus tantum fiat mentio de ordinatione lectoris, tamen omnes idem censem de reliquis minoribus ordinibus, & confirm. ex Concil. Trident. sess. 23. de reformatione. cap. 10. in quo prohibentur Abbatess tonsuram vel minores ordines conferre iis, qui regulares sibi subditi non sint. Choropiscopi etiā qui, ut constat ex lib. 6. de presbyteris, inter presbyteros, & non inter Episcopos numerantur, poterant etiam olim eosdem ordines tribuere, & etiam subdiaconatum, ut videtur innuere Concil. Antioch. c. 10. & Concil. Melden. c. 44 immo & aliis presbyteris Pontifex Max. (ut Gelasius afferit epist. 1.c. 8.) facultatem concedere potest. Hæc enim sunt Gelasii verba: *Ne presbyteri sibi meminerint ulla ratione concedi sine summo Pontifice subdiaconum, aut acolythum juss habere faciendi.* Hæc Gelasius. Et sunt nonnulli.

(a) *Vide* li (a), qui dicunt fuisse aliquando factam hanc protestatem quibusdam Abbatibus a Pontifice Maximo, qui licet id se scire non affirment, tamen 1. & 2. Navar. afferunt, se ab aliis, qui privilegium viderant, accepisse.

Præterea aliqui existimant, presbyteros, qui parœciis præsunt, posse primam tonsuram conferre, & in hac sententia est Hostiens. in cap. *Cum contingat*, de æt. & qualit. ordin. & Abb. in c. *Quanto*, de consuetudine. Sed advertatur huic opinioni Ecclesiæ consuetudo, quam in primis observare debemus.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum V.

Post titulum primum de ministro sacramenti ordinis, se uenituralii tres, qui pertinent ad eundem ministrum, ut recte fungatur suo munere. Tandem quinto loco absolutis jam iis, quæ spectant ad Ministrum, qui ordines confert, proponuntur ea, quæ pertinent ad eos, qui ordines suscipiunt. Illud autem statim in ipso initio caveatur, ne quis subito ad Episcopatum, aut ad sacerdotium ascendat, sed prius ordines inferiores suscipiat. Sed obincet quispiam jam agi de hac eadem re in lib. 4. ubi extat titulus 8. Quibus gradibus debeat Episcopus ascendere ad Episcopatum; & in lib. 6. est item titulus 6. Ne laicus statim presbyter fiat, in quibus hæc eadem decreta sunt, quæ in hoc loco continentur. At vero facile est huic objectioni respondere. Cum enim hic titulus sit generalis, pertineatque proprie ad ordines, comprehendatque tam eum, qui est in libro 4. quam illum, qui est in sexto libro, & non solum ea decreta, quæ sunt communia illis duobus titulis, sed etiam quæ sunt utriusque propria, consentaneum fuit, eum in hoc libro collocari, præfertim cum canonum repetitio, quæ hoc loco nobis obici potest (ut sæpe alias dictum est) non abhorreat a methodo, quæ in hac collectione servatur, dummodo titulus omnino integer non reprefatur.

Quamvis autem in hoc titulo caveatur, ne quis statim Episcopus, aut presbyter ordinetur, tamen extant revera apud antiquos aliqua exempla Epis-

cotorum, qui cum laici essent, subito fuerunt Episcopi electi, ut patet ex S. Ambrosio, qui ad sedem Mediolanensem ascendit, & ex Nectario, qui fuit Episcopus CP. designatus. Uterque enim tantum absuit, ut ordines inferiores ante electionem suscepit, ut laicus, immo ut catechumenus esset. At vero, & Nectarius optime officio functus est, & ipse D. Ambrosius non solum Mediolanensem Ecclesiam illustravit, verum etiam suæ doctrinæ, & virtutis splendore ex tota fere Italia Arianorum tenebras depulit. Extat item exemplum Farasti, qui cum esset item laicus, CP. Episcopus est constitutus, sed certe illorum temporum calamitas id postulare videbatur, patebat enim ea ætate latissime hæresis Iconomachorum; erat autem Tarasius vir pius, & doctus, maximeque auctoritatis, & quod (principual tunc erat) illius hæresis hostis acerrimus. Attulit itaque ejus electio provinciis illis magnam utilitatem, dedit enim ipse operam, ut Concilium generale ab Hadriano Pont. Max. Imperatorum rogatu convocaretur, in quo hæresis illa summo fuit Patrum omnium consensu profligata. At vero quamvis hæc ita sint, constetque nonnumquam propter graves, & justas causas, aliquos lege communi fuisse solutas, ut patet ex his exemplis, tamen ille fuit vetus Ecclesiæ mos, ut is tantum constitueretur Episcopus, qui omnes ordines ecclesiasticos suscepisset. Atque ita Nicolaus I. & Hadrianus II. graviter in electi fuerunt in Photium, tum ob alias causas, tum quia cum laicus esset Ecclesiæ CP. Sedem occupasset.

Licet autem fuerint hæc decreta priscis illis temporibus constituta, & servata, tamen postea aliqua ex parte fuerunt abrogata, cavereturque decretum Urbani II. in Concil. Claromont. quod in hoc titulo continetur, ne quisquam, qui saltem diaconus non sit, valeat Episcopus designari. Cujus verba hæc sunt: *Nullus laicus, clericus, vel tantum subdiaconus in Episcopum eligatur.* Ex quibus verbis suspicari licet ea ætate etiam subdiaconos, immo & eos, qui tantum minores ordines suscepissent, solitos fuisse Episcopos designari, quam vitiosam, & corruptam consuetudinem in eo Concilio quantum potest Urbanus corrigere conatur. Postea autem Innoc. III. in c. *A multis*, de ætat. & qualitat. ordinan. subdiaconos permittit Episcopos deligi. In quo capite illud animadvertisendum est, non ibi fortasse fieri mentionem de Urbano I. sed de Urbano II. contextumque depravatum esse, quod ex variis indicis, sive signis apparet. Primum quia decretum illud, licet non eisdem verbis, extat apud Urbanum II. & non reperitur apud Urbanum I. Præterea omnes canones, imo excepto, qui continentur in hoc titulo, sunt ipso Urbano I. posteriores, neque tamen in illis est mentio hujus decreti Urbani I. neque est verisimile Ecclesiasticam disciplinam laxiorem fuisse ætate Urbani, cum ipse non longo tempore intervallo post Apostolorū ætatem Ecclesiæ Romanæ præfuerit. At vero quomodo cumque se res habeat, certum est ex decreto Innocen. III. potuisse jam subdiaconos ab illo tempore creari Episcopos. Sed hoc intelligendum est (nem-

(nempe subdiaconos potuisse jam tunc designari Episcopos) ut nullo modo consecrari possent, nisi prius ordines inferiores susciperent. Itaque cum duplex sit Episcopi potestas, altera ordinis, & altera jurisdictionis, valebit sane ipse subdiaconus electus, & confirmatus Episcopatum administrare, & ea munera, quae sunt jurisdictionis, exercere, sed numquam habebit potestatem ordinis, quae propria est, & germana ipsius Episcopi, nisi presbyter prius sit, & deinde Episcopi consecrationem accipiat, nam sive sequamur opinionem juris interpretum, qui Episcopatum dicunt esse ordinem ab aliis distinctum, sive Theologorum sententiam, qui dicunt non esse revera ordinem, sed gradum tantum quemdam superiorem, certe quoque modo semper ipsa episcopalis potestas, quae vulgo appellatur ordinis sive consecrationis, quae necessaria est ad gerenda manera Episcopi propria, suo jure postulat characterem ordinis Sacerdotalis. Ex hac igitur parte semper antiqui canones, qui sunt in hoc titulo, servantur, nam licet saepe designetur Episcopus, qui nondum est Sacerdos, prius tamen suscipit ordines illos, quibus initiatus non est, & deinde consecratur Episcopus. Tantum remittuntur, aut condonantur hujusmodi Episcopo electo temporum spatia, quae inter unum & alterum ordinem ex juris praescrito solent interesse.

Non prohibentur laici ordinari, dummodo nullum impedimentum ad suscipiendos ordines habeant, nam ut Innoc. Papa ait in c. 2. hujus tit. *Clerici non nascuntur, sed fiunt:* sed prohibentur ascendere ad ordines superiores, antequam versati fuerint in ipsis inferioribus, immo prohibentur etiam, ut patet ex c. 1. hujus tit. suscipere minores, antequam mores illorum probentur, virtutumque exercitatione, & vestitus mutatione sua voluntatis significationem dederint.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum VI.

DE diebus ad ordines suscipiendos destinatis parum interest inter Patrum antiquotum decreta, & nostra aetatis consuetudinem, ut patet ex hoc tit. Illud autem discrimen est, quod apud nos die sabbato conferuntur ordines mane, apud antiquos autem Patres item de sabbato, vel vespero, & etiam die dominico proximo, dummodo continuaretur jejunium sabbati tam ab Episcopo, quam ab iis, qui ordinabantur, ut apparet ex epistola D. Leonis 79. ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum, cuius initium est: *Quantum dilectionistuæ: cuius fragmentum, in quo D. Leo afferit, jam in hoc titulo continetur.* Quod etiam potest confirmari ex eodem D. Leone in epistola ad Episcopos Viennensis provinciae, quae jam extat in hoc titulo, quamvis in hac de ordinatione, sive consecratione Episcopi loqui videantur. Itaque si hanc epistolam, & illam superiorem a D. Leone ad Dioscorum scriptam diligenter perpendimus, tam die sabbati vesperi, quam dominico mane solebant Episcopi, & alii sacerdotes, atque Diaconi ordinari. Quamvis postea consuetudo sit immutata, solentque Sacerdotes, & atque inferiores ordines suscipiunt, sabbato tantum ordinari, & contra ipsi Episcopi die tantum

dominico consecrentur, & certe, licet tunc, ut dictum est, uterque dies (nimis sabbatum, & dominica) fuerit destinatus, tamen ut ex ejusdem verbis apparet, potius hujusmodi ordinationes presbyterorum, & aliorum ministrorum pertinebant ad diem dominicum, quam ad sabbatum, et iam cum celebrabantur die sabbati: nam, ut idem D. Leo videtur sentire, sane pars illa sabbati, quo ordines conferebantur, cum jam esset noctis initium, potius quodammodo pertinebat ad diem dominicum proximum, quam ad ipsum sabbatum. Potest id confirmari ex c. 1. de Feris, in quo hec verba sunt: *Omnes dies dominicos a vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari.* Ex quo apparet saltem in illis regionibus, ubi dies dominici hoc modo servabantur, calv sabbati vesperam ad diem dominicum pertinere, & modo etiam, licet consuetudo regionis in colendis festis diebus sit servanda, ut patet ex c. 2. de Feris, tamen quod ad officia ecclesiastica pertinet, dominice initium sumitur a vespertinis precibus diei sabbati. Itaque ex his omnibus apparet, eos, qui sacros ordines sabbato vesperisuscipiebant, non tam sabbato (ut dictum est) quam die dominico ordines suscipere. Hæc occurunt de diebus ab ordines suscipiendos priscis illis temporibus ab Ecclesia constitutis. Sunt item multa de hujusmodi temporibus ordinationum in jure novo, ut in c. *De eo autem eod. tit. de temporibus ordinationum* in quo Alexander III. loquens de subdiaconatu ait: *Ad subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus aut sabbato sancto, vel sabbato ante dominicam de Passione, nulli Episcoporum, praeter quam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare.* Eodem item tempore, sive die confirmat Concilium Tridentinum sess. 28. c. 8. de reformatione. Immo si quis extra hæc tempora a jure statuta ordines suscipit, punitur, ut patet ex c. *Cum quidem, & ex c. Consultationi, de temporibus ordinationum,* licet characterem sine dubio recipiat, ut apparet ex eod. c. *Consultationi,* Episcopus item, qui eos confert, suspenditur dicto c. *Cum quidem.* Loquimur autem de ordinibus sacris, nam alios potest conferre Episcopus etiam extra tempora die dominico, & alii diebus festis c. 1. & c. *De eo autem, eod. tit. de temporibus ordinationum.*

In Partis II. Lib. XVI. Titulum VII.

JAM in hujus libri initio dictum est, non extare in eo decreta de materia, neque de forma ordinum majorum, exceptis duobus decretis, in quibus agitur de materia subdiaconatus. Addimus etiam aliqua reperiri de materia, & forma ordinum minorum: hæc igitur omnia in hoc titulo continentur. Non autem inscribitur hic titulus de materia, & forma Sacramenti ordinis, tum quia nihil est in eo de forma ordinum majorum, neque materia diaconatus, aut Sacerdotii, excepta tantum manuum impositione; tum etiam quia praeter materiam, & formam ordinum minorum commemorantur hoc loco variae actiones Episcopi in conferendis ordinibus, nam & imponit manus Diacono, & cohortatur Acolythus, & Exorcistas, item lectores, atque ostiarios ad praestandum manus suum. Has igitur ob causas inscriptio hujus

tit.

tituli est generalis, ut comprehendat ea omnia, quæ in ordinatione fieri solent.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum VIII.

HAC idem decernitur in Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 8. de reformatione, in quo hæc verba sunt: *Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus, ac in cathedrali Ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicas, publice celebrentur. Si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper audeatur.*

In Partis II. Lib. XVI. Titulum IX.

DE ætate eorum, qui ordines suscipiunt, magna sane fuit olim in jure varietas. Nam ut de Episcopis taceam, quibus ut minimum semper consueta fuit ætas tringa annorum, in presbyteris antiqui magna ex parte postulabant ætatem item tringa, & in Diaconis viginti, & quinque annorum. At vero Zacharias Pontifex Max. qui 850. ab hinc annos Romanæ præfuit Ecclesiæ, in epist. 5. ad Bonifacium Episcopum, cuius initium est *Benedictus Deus*, constituit, ut si necessitas instaret, posset ad presbyteratum ascendere, qui essent XXV. annos nati. Sed postea etiam sine necessitate, hoc item in consuetudinem venit, ut tantum ætas XXV. annorum postularetur. Præterea ad Subdiaconatum sunt nonnulla Concilia, quæ præscribunt XX. annorum ætatem. At vero postea Clemens V., licet quod attinet ad presbyteratum nihil immutaverit, sed ætatem XXV. annorum illi ordini præscripserit, ut antea, tamen fecit pontificem iis, qui pervernerant ad annos XVIII. suscipiendi subdiaconatum, & iis, qui ad XX. suscipiendi ordinem Diaconatus, ut constat ex Clem. ult. de ætate, & qualitate ordinandorum, videturque ibi significare, jam ante ipsam constitutionem hunc usum viguisse, ait enim: *Generalem Ecclesiæ observantiam volentes antiquis iuribus in hac parte præferri, decernimus, ut (alio non obstante impedimento canonico) possit quis libere in decimo octavo ad subdiaconatus, in vigesimo ad Diaconatus, & in vigesimo quinto ætatis suæ anno ad presbyteratus ordines promoveri.* Tandem vero Concil. Trident. Sess. 23. cap. 12. de reformati, iustit neminem ascendere ad Subdiaconatum ante vigesimum secundum, neque ad diaconatum ante vigesimum tertium, neque ad presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis annum. Illud autem observandum est, licet certa ætas ex lege Ecclesiæ sit iis, qui ordines suscipiunt, constituta, tamen si quis ante ipsam ætatem ordinatur Diaconus, vel presbyter, quantumvis sit puer, & careat usu rationis, revera imprimetur in eo character, & erit facerdos, aut diaconus. Hæc est communis Theologorum sententia, & probatur c. unic. de Clericis, per salt. promot. ubi qui ante discretionis annos ordines minores, & subdiaconatum suscepserat, & postea omissione diaconatu, presbyter fuerat ordinatus, tantum jubetur diaconatum, quem omiserat, suscipere, ut possit deinde peracta penitentia ex dispensatione ministrare. Probatur item ex c. *Vel non est compos*, de tempor. ordina. ubi ille qui XIII. annos natus, fue-

rat ordinatus diaconus, suspenditur tantum usque ad legitimam ætatem ab usu & administratione illius ordinis. Ex quo aperte patet puerum ipsum, de sententia Pontificis ordinem illum vere suscipere, & confirmatur, quia jubet Honorius III. ibidem beneficium ipsi puero conferre, quo ali possit: quo facto aperte Pontifex ostendit puerum illum vere initiatum fuisse, cum jubeat eidem tamquam diacono alimenta præberi. Probatur etiam hoc ipsum, quod dictum est, hac ratione, quia in Sacramentis illis, in quibus non est necessarius omnino ipsius suscipientis expressus consensus, satis est, si concurrat materia, & forma, & minister cum debita intentione, ut patet ex baptismo, & confirmatione; at vero sacramentum ordinis omnes Theologi, excepto Durando, hujusmodi esse fatentur, apparentque præterea, ut dictum est, ex decretis Pontificum nuper adiustis. Quamvis autem ordo ipse revera suscipiatur, erit tamen ipse suscipiens suspensus d. c. unic. de Cler. per salt. promot. & d. c. *Vel non est compos*, de tempor. ordinat. non tamen erit adstrictus voto, quod est ordinibus sacris adjunctus, donec prædictus sit usu rationis, & assensum ipsi castitatis votio præbeat, quia votum sua natura postulat aetum voluntatis. Quare si nolle se voto obligare esset suspensus ab ordinum executione, maxime si uxorem duceret. Vide de hac re Palud. in 4. dist. 25. q. 3. & Sot. ead. dist. q. 1. art. 2.

In Partis II. Lib. XVI. Tit. X.

ORdinaciones posunt esse illicitæ duobus modis, aut enim aliquid defet, in quæ sunt omnino necessaria, ut materia debita, aut forma, ut minister, & tunc ordinatio erit irrita, & nullo modo erit sacramentum. Altero modo dicitur illicita, quia est contra decreta Ecclesiæ tantum, ut si Episcopus ex lege Ecclesiæ non potest ordinates conferre quia est suspensus, vel ordinat extra suam dicecem, aut is, qui initiatur non est ipsius Episcopi subditus, aut non habet eam ætatem, quam leges ecclesiasticae exposunt, aut denique extat aliqua alia causa, & tunc revera est ordinatio ipsa illicita, quia collatus fuit ordo ille contra leges Ecclesiæ, sed sine dubio imprimetur in eo character, & accipit ordinem illum, ut constat inter omnes Theologos. Si autem aliquando appellantur hujusmodi ordinaciones irritæ in aliquibus decretis, ut in c. 6. Concil. Chalcedon. & in aliis locis, id intelligendum est non quod omnino irrita sit ordinatio, sed quia ille, qui ordines accepit, est privatus usu legitimo ipsorum ordinum, & nullo modo potest in eorum administratione versari.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XI.

IN hoc titulo, qui generalis est, proponuntur ea, quæ requiruntur ab iis, qui ordines suscipiunt, deinde vero sequuntur alii, in quibus afferuntur impedimenta, quæ prohibent, quomodo quis sacris initiari valeat. Cum enim haecenus de variis rebus, quæ pertinent ad ipsorum ordinum celebrationem, & ad eos, qui ordines suscipiunt, actum sit, ut de cæremoniis, de ætate, quam ordines postulant, & de aliis hujusmodi, jam modo ratio ordinis exposcere videtur, ut qua-

quales esse debeat, qui ad ordines pervenire desiderant, agatur, & postea impedimenta, quæ obstant ex jure veteri, proponantur. In tota autem hac disputatione illud animadvertisendum est non esse parem causam omnium, qui ordinantur, nec easdem qualitates ab omnibus postulari. Licet enim commune omnibus sit, ut boni sint, & a vitiis alieni, ut constat ex multis decretis, quæ sunt in hoc titulo, & ex multis aliis, quæ existant in jure novo, & præcipue ex Concil. Trident. Sess. 23. cap. 4. 5. 7. & multis aliis, quæ sequuntur de reformat. Sed alia sine dubio probitas, & alia qualitates desiderantur ab iis, qui majores, & alia ab iis, qui minores ordines suscipiunt. Item si conferimus inter se eos, qui ordinibus sacris initiantur, alia est ratio presbyteri, atque alia Diaconi, aut Subdiaconi, majorque sane gravitas, virtus integritas, scientia requiritur ab Episcopo, quam a presbytero, & ab hoc si cætera sunt paria, quam ab aliis inferioribus. Sed quia de his omnibus jam actum est in libro IV. V. VI. ubi ea extant, quæ ad Episcopos, presbyteros, & diaconos spectant, & de illorum vita, moribus, doctrina, & muniberibus ex veterum Patrum, & Synodorum decretis multa afferruntur, supervacaneum erit amplius de hujusmodi rebus quidquam in medium adducere.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XII.

Proponuntur jam in hoc tit. & in aliis, qui proxime sequuntur ea, quæ impeditur ordinum susceptionem. Repetuntur autem hoc loco, & etiam in titulis proximis aliqua capita, quæ in superiori titulo proposita sunt, quia in eisdem locis, in quibus explicant Patres, quales futuri sint, qui ordines suscipiunt, continentur plerumque ea etiam, quæ obstant, quem minus quis ordinari valeat. Sunt autem hic titulus, & alii proximi velut partes quædam tituli superioris, vix enim fieri potest, ut constat aperte, quales debeat esse, qui ordinantur, nisi simul explicitur ea, quæ ordinationi repugnant. Sed antequam ad impedimenta, de quibus in hoc, & in aliis titulis agitur, deveniamus, illud breviter observandum est. Impedimenta esse duplia, alia enim repugnant omnino susceptioni ordinum, quæ hujusmodi sunt, ut si quis habens impedimentum ejus generis ad ordines accedat, nihil excipiat, ut exempli causa sexus fœmineus. Mulier enim, quod perspicuum est, nullo modo potest initiari, & licet extent multæ rationes, supervacaneum esset modo in re tā perspicua amplius commorari. Illud certum est, olim quasdam fœminas suiscepsisse, quæ dicebantur *Diaconissæ*, de quibus est mentio supra in libro septimo hujus collectionis tit. 38. 39. 40. 41. Fuerunt item aliae, quæ appellabantur *Presbyteræ*, de quibus item agitur lib. 6. tit. 59. & vero perspicuum est, neque has, neque illas ullum umquam ordinem suscepisse. Nam quamvis in Concil. Chalcedon. c. 15. loquantur Patres de ordinatione *Diaconissæ*, & in Frullan. c. 14. in hisque prohibetur ordinari diaconissa usque ad annum ætatis quadragesimæ, tamen dubium non est in illis decretis nomine ordinationis intelligi benedictionem aliquam, qua de-

stinabantur hujusmodi mulieres in suis conventibus ad cavendam homiliam, aut orationem laudum, & vesperarum, & præstanta alia munera, quæ ipsarum erant propria. Est præterea aliud impedimentum hujus generis, quod item omnino obstat ordinibus suscipiendis, nimis si ipse, qui accedit ad sacros ordines, non est baptizatus. Baptismus enim est janua sacramentorum, & character illius est veluti fundamentum, sine quo existere non potest character ordinis. Itaque qui baptizatus non est, nullo modo potest ordinari, ut patet ex c. 1. & ex c. *Veniens*, de presbyt. non baptizat. in quibus capitibus jubetur presbyter non baptizatus suscipere baptismum, & deinde iterum ordinari.

Præter impedimenta hujus generis, quæ omnino suscipiendis ordinibus diximus repugnare, sunt alia, quæ repugnant tantum ex lege Ecclesiæ. Nam ipsa Ecclesia propter graves, & justas caussas prohibet aliquos ad sacros ordines ascendere, quia illos, aut ob delicta commissa, aut ob alias rationes indignos judicat, ut homicidas, servos, & alios hujusmodi. Dicuntur autem hi vulgo irregulares, qui alieni sunt a regula, quam Ecclesia in suscipiendis ordinibus præscripta. Constat autem hos, qui tantum ex Ecclesiæ lege prohibentur, si re ipsa ordines suscipiant, peccare illos quidem, & esse privatos tanquam indignos usu, & administratione ipsorum ordinum, tamen characterem suscipere, & esse ordinatos. Et de his agitur in hoc titulo, & in aliis, qui proxime sequuntur. In hoc autem libro non continentur omnia impedimenta, quia postea in jure novo sunt alia nonnulla introducta, de quibus omnibus, licet multa modo occurrerant, tamen quia est longa disputatione, & multi doctores, præsertim recentiores, accurate, & copiose de illis omnibus disputant, satius erit ea, quæ nunc dici poterant, silentio præterire. Agunt de irregularitate, ut alios antiquiores omittam Sot. in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. Navar. in summ. c. 27. Covarr. in Clem. unic. de homicidio, & denique omnes summistæ in verbo *Irregularitas*, quorum nomina longum esset percentere.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XIII.

Bigami prohibentur multis decretis tam in jure veteri, quam in novo ordinari, & præter canones, qui sunt in hoc loco, est etiam totus titulus de bigamis non ordinandis apud Gregor. IX. in quo multa sunt de hac re, & præcipue in c. 1. 2. 3. Item in Clem. ult. eod. tit. & in Concil. Trident. Sess. 23. cap... de reformat. in quibus repelluntur bigami ab omni privilegio, & munere clericorum proprio, et si re ipsa ascendant ad quoscumque ordines, privantur ipsorum usu, & administratione, & qui illos ordinant, potestate ordinandi donec dispensationem obtineant c. 2. de bigamis non ordinandis. Possent hoc loco multi de bigamis dici, & de caussa cur ab omnibus repellantur, sed his omisis, attingam tantum brevissime varias bigamie formas, nam præter veram, quæ contrahitur ab eo, qui duas habuit uxores, & matrimonium cum utraque consumavit, est alia interpretativa, & hæc multiplex,

plex, contrahit enim ab eo, qui viduam duxit uxorem, aut ab alio corruptam, ut patet ex multis decretis, quæ sunt in hoc titulo, aut qui duas simul habet uxores (quamvis matrimonium cum una tantum possit esse ratum, & firmum) c. Nuper, de bigamis. Alia denique appellatur similitudinaria, in quam incidit qui est sacris iniciatus, aut alias voti solemnis vinculo astrictus, & re ipsa matrimonium contrahit, & consumat, ut patet ex concilio Aneyr. (a) c. 18. & ex d. c. Nuper, & ex c. ult. de bigamis non ordinandis.

Licet enim matrimonium illud non valeat, tamen perpenditur affectus, & animus contrahentis, ut constat ex his capitibus, quæ modo sunt proposita. Sed de his satis. Disputant enim (ut supra dictum est) de hujusmodi questionibus, quæ spectant ad irregularitatem multi doctores, quos in superiori titulo nominavi.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XIV.

Olim fuit inter viros sanctitate, & eruditio ne præstantes magna de hac re controversia. Nam D. Hieron. in epist. ad Oceanum existimat eum, qui ante baptismum duxit viduam, aut duas uxores, vel unam ante baptismum, & aliam post baptismum posse sacris iniciari. Affertur ejus epistolæ fragmentum a Gratiano dist. 26. cap. 1. Eamdem sententiam tuerit item D. Hieron. in Comment. in epist. D. Pauli ad Titum, & est apud eumdem Gratianum 28. q. 3. c. 1. At vero D. August. aperte eidem repugnat in libro de bono conjugali, extatque ejus sententia in c. Acutius, dist. 26. & 28. q. 3. c. 2. Item D. Ambrosius lib. 1. de officiis c. ult. cuius sententia affertur ab eodem. Grat. dist. 26. c. Una tantum, & denique Syricus, & Innocentius Pontifices Max. aduersantur eidem D. Hieronymo, decernuntque hanc bigamiam obstatre etiam fuscipendiis ordinibus, afferruntque varias rationes, & argumenta, quibus commoti hanc sententiam confirmant, suaque auctoritate corroborant, ut patet ex utriusque epistolis, quarum fragmента extant in hoc titulo. Quare de hac re jam nulla potest esse dubitatio.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XV.

DE publica poenitentia, de iis, qui publicam poenitentiam egerunt, multa dicta sunt in lib. XXV. in quo est tit. 13. de poenitentia publica. Item in tit. 21. ejusdem libri, quæ supervacaneum esset modo repetere. Caussam autem, cur hi repellerentur ab ordinibus, attingit Hormilda Papa epist. 4. c. 1. cuius verba licet jam in hoc titulo contineantur, non tamen erit absurdum illa hoc loco commemorare: *Sed nec de poenitentiis, inquit, quisquam quidem ad hujusmodi gradum prophanus temerator adspiret; satis illi postulanti sit venia, qua conscientia absolvatur reum, qui se peccata sua populo fecit teste confessum. Quis enim quem paulo ante vidi jacenter, veneretur Antistitem, præferens misericordiam criminis labem, non habet lucidam Sacerdotis dignitatem?* Hac Hormilda. Qui licet ibi non loquatur de omnibus ordinibus, sed tantum afferat caussam, cur poenitens non possit ad Episcopatus, aut presbyterii gradum ascendere, tamen ex illius verbis etiam caussa colligi potest, cur eidem alii

item ordines denegentur. Nam cum poenitentia publica non nisi ob gravia tantum crimina imponi soleret, offensionem quidem maximam toti populo afferret ordinatio hujusmodi, quem omnes scirent nefaria flagitia commississe. Itaque, si res diligenter perpenditur, non tam propter poenitentiam, quam propter detestationem culparum, quæ caussam poenitentiae dederunt, poenitens ipse ordinum susceptione prohibetur. Loquimur autem hoc loco non de quacumque poenitentia publica, sed de ea, quæ a recentioribus proprie solemnis appellatur. Quoniam autem hujusmodi poenitentia jam plane hac nostra ætate obsolevit, supervacaneum erit plura de hac re commemorare præsertim cum ex ipsorum canonum lectione, qui in hoc titulo sunt, ea omnia, quæ ad hanc disputationem spectant, aperte colligi valeant. Est præterea aliud impedimentum huic simillimum, quod oritur ex delictis maximis, & notoriis. Cum enim quis nefarium aliquod scelus facit, si illud est notorium, non potest ordines fuscipere, numeraturque hoc impedimentum a recentioribus (b) inter irregularitates, idque probatur ex c. ult. de tempor. ordin. Crimina autem maxima existimantur adulterium, & reliqua omnia, quæ sunt adulterio graviora, ut notat Abb. & alii Doct. in c. At si Cle- rici, §. De adulteriis, de judiciis. Non autem satis est ad inducendam hanc irregularitatem criminum gravitas, nisi eadem ipsa crima sint notoria, quod probatur c. ult. de tempor. ordin. & c. Ex tenore, eod. tit. ubi Innocent. aperte hanc sententiam tuerit. Eamdem item alii defendunt, quamvis non desint alii, qui repugnant, existimentque crimen grave licet sit notorium inducere irregularitatem. Sed certe sententia prior videtur probabilius. Quando autem aliquid dicatur notorium constat ex c. Veftra, & ex c. ult. de cohabit. Cler. & mulier.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XVII.

Hoc ut cum Judex latronem, vel sicarium de criminis legitime convictum interfici jubet, aut cum milites in prælio justo hostes occidunt. Aliud vero in justum, ut cum quis privata auctoritate alicui sive dolo, sive alio modo injusto mortem afferat, utrumque impedit, quomodo possit quis ordines fuscipere, sed diversa ratione. In hoc autem titulo agitur de hoc posteriori, quod item multiplex est: aliud enim de industria, aliud casu committitur, aliud vero est medium, ut cum quis vult tantum inferre vulnus, & infert mortem. Præterea in eo homicidio, quod non fit sponte, sed casu, illud in primis cadit in controversiam, num qui dat operam rei illicitæ excusetur, de qua re sunt variae discrepantesque doctissimorum hominum sententiae; & certe licet multi existiment, illum omnino irregulararem esse, tamen si res diligenter perpenditur, probabilior videtur illorum opinio, qui putant, illud in primis considerandum esse, num mors, aut mutilatio membra (eadem enim est utriusque ratio) sequi soleat per se & necessario, aut saltem, ut plorimum, & tunc si factum illud est illicitum, existimant hi inducere irregularitatem, ut si quis dedit alicui negotium,

ut

ut inimicum sauciaret, & ipse illum interfecit, ut patet ex c. ult. de homic. in 6. quantumvis enim ipse, qui iussit vulnus afferre, prohibuerit, ne occideret inimicum, certe si ex vulnere secuta est mors, incidet, ut patet ex illo cap. in irregularitatem. At vero si factum illud eriam illicitum hujusmodi sit, ut non soleat sequi ex illo mors, tunc non inducet irregularitatem, ut si quis mittit servum ad educendam meretricem, & ipse servus in itinere fulmine ictus occumbit, non erit certe ille, qui eum misit, irregularis. De utraque homicidii specie disputant accurate & diligenter multi Doctores, & in primis Covarr. in Clem. unic. de homic. 3. p. relectionis in initio. Navarr. in sum. c. 27. n. 206. & sequentibus usque ad 238. Suntque multæ, & variaæ quæstiones, quas hoc loco proferre longum, & minus necessarium esset, cum hi doctores, quos nominavi, & alii etiam multi de his rebus copiose differant.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XVIII.

ADulterium, & alia delicta, de quibus in hoc titulo fit mentio, non numerantur hac nostra ætate inter impedimenta ad suscipiendos sacros ordines, ita ut inducant irregularitatem, nisi forte hujusmodi peccata, ut dictum est supra in tit. essent notoria. Unam tantum sodomitiam excipio, quam si quis Clericus exercet, irregularis est, ut patet ex Extravag. Pii V. quæ tamen de laicis non loquitur.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XIX.

DE hac re sunt item multa decreta in jure novo ut in c. 1. (quod item in hoc titulo afferatur) & in c. ult. de filiis presbyterorum, & in c. Is, qui, eod. in 6. & in c. Consuluit, de serv. non ordin. Et licet possit cum iis Episcopus dispensare, ut ad minores ordines pervenire valeant, ut patet ex d. c. Is, qui, sed non ad maiores, in quibus Ionus Pontifex Max. dispensat, ut ex eod. c. constat. Adeo autem hi repelluntur ab ordinibus, ut etiam si quis natus sit ex uxore sacerdotis, vel genitus eo tempore, quo pater jam sacerdos erat, ordinari sine dispensatione nequeat, c. Literas, eod. Potiunt tamen hi ordines suscipere, si ad religionem se conferunt, & appareat ex Urbano II. in Concil. Claromont. cuius decretum est in hoc tit. & etiam apud Gratian. dist. 56. c. 1. & ex Concil. Pietav. c. 8. quod item continetur in hoc titulo, & in c. 1. de filiis presbyt. Quamvis autem prohibeantur in hoc eod. c. cœnobii præesse, sed aut ex privilegio, aut ex consuetudine jam fere in omnibus religionibus hoc impedimentum sublatum est. Et licet Xystus V. quod attinet ad illegitimos, omnia privilegia religionum, & consuetudines substulerit, tamen postea Greg. XIV. omnia fere in integrum restituit.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XX.

PRæter decreta, quæ in hoc titulo continentur, sunt multa alia in Conciliis recentioribus, & præcipue in Trident. in quo etiam hi qui minores ordines suscipiunt, debent lingue latine cognitionem habere, ut patet ex sess. XXIII. cap. 11. de reform. in quo ab aliis item, qui ad sacros ordines ascendunt, ea scientia postulatur, quæ ad illos ordines cum dignitate administran-

dos videtur necessaria, prout constat ex ead. sess. cap. 11. 12. & 13.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XXI.

TRIBUS modis fieri potest, ut quis impediatur propter membra alicujus defectum. Primo si ipse sibi ob indignationem, & iram, atque ob aliquam aliam causam injustam sibi membrum, aut partem illius abscedit, ut cavetur c. 1. Concil. Nicæn. & c. 20. Apost. & ex aliis item capitibus, quæ sunt in hoc tit. & apud Gratian. dist. 55. c. Si quis, & c. Eunuchus. Idem etiam probatur ex c. 1. & ex c. Significavit, de corp. vitiat. secus autem est si sine culpa propria fuit membrum abscessum d. c. 1. Concil. Nicæn. & c. 20. Apost. supra cit. & c. Ex parte, 2. de corp. vitiat. atque hæc de primo modo. Secundo impeditur qui propter deformitatem, ut in c. 2. de corp. vitiat. Tertio si membrum illud, aut pars, quæ deest, prohibetur ab usu ordinum c. Exposuisti, & c. ult. eod. tit.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XXII.

PRæter canones, qui sunt in hoc tit. patet non posse eum, qui rebaptizat, ordinari c. 2. de apost. & iterand. bapt. Neque eum, qui rebaptizatur c. Qui bis ignoranter, de consecr. dist. 4. qui can. in hoc tit. non est, quia non reperitur in concilio, sed tantum affertur a Theodoro in Prententiali, in quo quidem can. etiam, qui ignoranter bis rebaptizatur repellitur ab ordinibus, quod tamen intelligendum est cum ignorantia non effet probabilis, neque justa.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XXIII.

CAUSSAM explicat Innocent. Papa, cur militares repelluntur ab ordinibus in epist. 23. ad 24. Item rationem idem Innocent. reddit cur curiales ordinari nequeant in epist. 2. c. 11. & epist. 4. c. 3. & epist. 23. ad 24. c. 4.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XXVI.

PRæter ea decreta, quæ in hoc tit. continentur, sunt etiam multa apud Gregorium IX. in tit. de serv. non ordin. in quibus eadem fere, quæ hoc loco statuuntur. Præterea adduntur etiam nonnulla. 1. Si quis ex muliere libera natus est, & ex Patre servo, poterit ordinis suscipere c. ult. de serv. non ordin. & ratio est, quia ille sine dubio est liber cum partus ventrem sequatur. Deinde si quis servus fuerit a domino manumissus, ut sacris initietur, tenetur operas spirituales ipsi patrōno præstare c. Nullus, eod. Item si servus domino nesciente, aliqua calliditate, aut fraude ordines suscepit, debet deponi, & domino restituī c. 2. eod. tit.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XXX.

Idem statuit in c. 2. de cleric. conjug. & in c. Conjugatus, & in c. Sane, de convers. conjug. Illud autem in eod. c. Conjugatus, statuitur, ut uxor non solum consentiat, sed etiam continentiam profiteatur.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XXXV.

SI ille, qui ordinat, vere est Episcopus, & habet intentionem faciendi quod Ecclesia facit, adhibita materia, & forma sine dubio, licet sit excommunicatus, vel simoniacus, immo licet sit haeticus, confert sacramentum, ut patet ex D. Thom. a) & aliis, probaturque epistola unic.

[a] in ad.
dit. ad 3. p.
9.38. art. 2.
Navarr. in
summ. c. 25.
num. 69.

F f f f

c. 7.

c. 7. & 8. Anastasii II. qui accurate de hac re disputat, extatque epistola Urbani II. ad L. Praesepitum S. Vincentii, cuius fragmentum extat supra in lib. XI. tit. 20. ubi copiose ea omnia, quae ad hunc locum attinent, persequitur, & denique est communis doctorum sententia. At vero hujusmodi ordinationes dicuntur hoc loco irritae, & item in multis aliis decretis, quia hi, qui ordinantur, licet recipient charactem, privantur tamen usu, & administratione ipsorum ordinum, sed certe nullo modo possunt iterum ordinis sacramentum suscipere. Vid. D. Thom. de hac re, & alii doctores in 4. dist.

In Partis II. Lib. XVI. Titulum XL.

JAM supra in ipso libri initio dictum est pri-
mam tonsuram non esse ordinem, at vero li-
cet ordo non sit, tamen est quædam dispositio ad
ordines. Usus autem deferendæ tonsuræ commu-
nis est omnibus clericis, ut patet ex concil. Agath.
c. 20. & ex Greg. II. in concil. Rom. c. ult. &
ex concil. Carth. IV. c. 44. quæ duo proxima
capita sunt in tit. de vit. & honest. cleric. c. Si
quis ex clericis, & c. Clericus qui, & item ex
Alex. III. c. Clericis, eod. & ex concil. Tolet. IV.
c. 40. in quo fit mentio proprie de corona. Hæc
enim sunt concilii verba: *Omnes clerici, vel le-
ctores sicut levitæ, & Sacerdotes detenso supe-
rius capite toto, inferius solam circuli coronam
relinquant. Non sicut hæc usque in Galliciæ
partibus facere lectores videntur, qui prolixis,
ut laici, comis, in solo capitibz apice modicum
circulum tondet, &c.* Licet autem clerici omnes,
qui sacris sunt initiati, deferre debeant tonsuram,
tamen illi, qui minores tantum ordines suscep-
runt non tam arcto vinculo tenentur astricti
præsertim si uxores duxerunt, ut est in c. *Joan-*
nnes, de cleric. conjug. aut si militiam fuerunt am-
plexi, ut in c. ult. eod. Sed non poterunt uti pri-
vilegiis, quæ sunt propria clericorum. Si enim
volunt retinere privilegia, non solum debent de-
ferre tonsuram, sed ut etiam vestitu clericorum,
& habere beneficium Ecclesiasticum, aut saltem
ex Episcopi præscripto alicui Ecclesiæ, vel cle-
ricorum seminario, vel universitati saltem in-
servire, ut est in concil. Trident. Sess. 23. de re-
formatione c. 6. Immo qui uxorem habet, non
aliter privilegia retinere poterit, nisi unicam
tantum, eamque virginem duxerit, vestitumque
clericu congruentem, & tonsuram deferat, &
præterea juvū Episcopi, ut supra dictum est, in
aliquo munere ecclesiastico versetur, probantur
que hæc omnia ex d. c. 6. Concil. Trident. &
item quadam ex parte ex c. ult. de cleric. conjug.
in 6. Sed dubitabit fortasse quispiam num hu-
jusmodi clericis cum uxores non habent, sufficiat
habere beneficium sine usu tonsuram, & vestitus
clericalis, ut gaudere possint privilegio canonis, &
fori, nam Conc. Trid. hæc verba profert in d. c. 6.
nisi beneficiū Ecclesiasticum habeat, aut clericalē habitum, & tonsuram. Hæc Conciliū. Cum
igitur ad veritatem alternativæ, quod certum est
in jure, satis sit alteram partem implere, fortasse a-
liquis existimabit ex sententia Concilii tantum
requiri beneficium; at vero sine dubio videtur

utrumque necessarium, primum quia a Clericis
conjugatis utrumque exigitur, & par est ratio:
deinde quia semper in jure ad retinenda privilegia
jubentur Clerici deferre habitum, & tonsuram,
ut patet ex d. c. unic. de cleric. conjug. in 6. &
apud Gregorium IX. ex c. *Joannes*, & ex c. *Ex-*
part. eod. tit. Non est autem credibile, voluisse
in hac re Concilium Tridentinum tollere jus an-
tiquum, præsertim cum multa addiderit ad tol-
lendas fraudes, ut appareat ex d. c. 6. de reformat.
& tandem in dubio non est inducenda canonum
aut legum correctio c. *Cum expeditat*, de elect. &
L. Sancimus, C. de testamentis.

In Partis II. Librum XVII.

HÆC disputatio de matrimonio latissime pa-
tet, aguntque de ea Theologi in 4. senten-
tiarum dist. 26. item Doctores tam juris Pontifi-
ciæ in 4. decret. tum juris Civilis variis in locis.
Cum enim non solum consideretur ut Sacramen-
tum, sed etiam ut contractus naturalis pertinet
ex hac parte etiam ad eos, qui in legibus civilibus
operam ponunt. Matrimonium autem ita com-
muniter definitur: *Viri, & Mulieris conjunctio
maritalis individuam perpetuamque vitæ con-
suetudinem retinens.* Quæ definitio magna ex
parte deprompta est ex L. I. D. de rit. nupt. & ex
prin. 27. q. 2. & ex prin. Instit. de patria potest.
afferuntque eam Magist. sent. & alii Theologi in
4. dist. 27. & licet aliqui addant definitioni hæc
verba *Inter personas legitimas*, non tamen viden-
tur necessaria cum in definitione non quæcumque
conjunctio, sed maritalis apponatur: hujusmodi
enim maritalis conjunctio tantum potest esse inter
legitimas personas. Cum autem bifariam, ut di-
ctum est, possit considerari matrimonium, aut
tamquam contractus naturalis, aut tamquam ma-
trimonium, ex utraque parte existunt multæ, gra-
vissimæque quæstiones, in quibus modo versari
longum esset, & a nostro instituto alienum. Qua-
re his omnibus omissis oportebit modo agere de
hujus Sacramenti materia, & forma, & ministro.
Cum enim hactenus in disputatione de reliquis
Sacramentis semper aut proprii tituli extiterunt
de materia, & forma, & de ministro, ut in libro
de baptismo, & in libro de confirmatione, aut si
in jure veteri non fuerint hæc satis explicata, tunc
ex jure novo id, quod deesse videbatur, fuerit
adjunctum. Sane ratio nostri munera postulare
videtur, ut etiam in Sacramento matrimonii, cum
non sit in jure veteri de ejus materia, neque de for-
ma aperta mentio, nos quoad fieri possit illam in-
quiramus. Primum autem illud tamquam certum
pono, matrimonium vere, & proprie esse Sacra-
mentum novæ legis; licet enim præter hæreticos
multos antiquos, & recentiores, qui Sacra-
mentum hoc negant, etiam nonnulli Catholici dubi-
tare videantur. Ut Durandus dist.... & Hostien. in
Sum. tit. de Sacram. non iterand. & Glos. in c. *Ho-*
norantur, 32. q. 2. & alii etiam. Sed sine dubio non
solum est certum, verum & fide constat matrimo-
nium vere, & proprie esse Sacramentum novæ le-
gis, & gratiam conferre. Probatur primum ex
Concil. Florent. in decreto de instru. Armen.
quod ioptem Sacraenta novæ legis enumerat, &
ulti-

ultimo loco commemorat matrimonium, disserit
menque constituit inter hoc Sacramentum, & illa,
quaerant antiquae legis: nam illa, inquit,
non caussabant gratiam, sed eam solum per passionem dandam esse figurabant: hæc vero nostra
& continent gratiam & ipsam digne suscipientibus
conferunt. Patet præterea ex c. *Ad abolendam*, de
hæreticis, in quo anathemate plectitur, qui aliter
sentit de ecclesiæ sacramentis, quam ecclesia Ro-
mana docet; at vero Romana ecclesia revera sen-
tit, & docet Matrimonium esse Sacramentum,
immo in eodem capite enumeratur inter Sacra-
menta. Deinde in Concil. Trident. sess. 7. de Sa-
crament. in commun. can. 1. aperte definitur esse
Sacramentum. Hæc enim sunt verba Concilij: *Si quis dixerit Sacra-
menta novæ legis non fuisse
omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta,
aut esse plura, vel pauciora, quam septem, vi-
delicet Baptismum, Confirmationem, Eucharis-
tiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem,
Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod
horum septem non esse vere, & proprie Sacra-
mentum, Anathema sit.* Hactenus Concilium.
Deinde vero in c. 6. 7. 8. definit Concilium hæc
Sacra-menta continere gratiam, ipsamque conser-
re ex opere operato non ponentibus obicem. Pre-
terea idem Concilium sess. XXIV. de Sacramento
Matrimonii can. 1. iterum definit Matrimonium
esse Sacramentum: *Si quis, inquit, dixerit Ma-
trimonium non esse vere, & proprie unum ex
septem legis Evangelicae Sacra-mentis a Christo
Domino institutum, sed ab hominibus in Eccle-
siam injunctum, neque gratiam conferre, Ana-
thema sit.* Hæc sunt verba Concilii. Itaque nemini
dubium esse potest, Matrimonium esse Sacra-
mentum, & gratiam conferre. Hoc posito, cum
certum sit, omnia Sacra-menta (ut est in Concil.
Florent.) tribus perfici, nimirum materia, forma,
& minister, illud dubitationem facit, quæ sit hu-
jus Sacra-menti materia, quæ forma, & quis mi-
nister. Primum enim in hoc libro non est titulus
de materia, neque de forma, neque possumus ex
eo aperte colligere, quæ sit materia, vel forma
hujus Sacra-menti. Est quidem in titulo V. men-
tio de cæremoniis quibusdam, & in primis de be-
nedictione Sacerdotis, sed nullum decretum ibi
videtur esse, in quo aperte aut materia, aut forma
hujus Sacra-menti contineatur.

De materia, & forma Sacra-menti Matrimoni-
i sunt varia inter viros eruditissimos, discre-
pantesque sententiae. Cum enim Concilia, & Pon-
tifices nihil aperte statuant de his rebus, digla-
diantur Theologi inter se, & in diversas opinio-
nes distrahitur. Primum D. Tom. in 4. dist. 1.
q. 1. art. 3. & præterea in lib. 4. contra gentes c. 7.
existimat Matrimonium, ut est sacramentum, con-
sistere in dispensatione Ministrorum Ecclesiæ, &
ita ait requiri necessario verba exprimentia con-
sensum, vel signa loco verborum, & benedictio-
nes ab Ecclesia institutas. At vero aliis in locis
sequitur diversam sententiam, nam in eodem 4.
dist. 26. q. 1. art. 1. in solutione 1. arg. ait, *ver-
ba exprimentia consensum esse formam, & non
sacerdotalem benedictionem cum hæc non sit de-*

*necessitate, sed de solemnitate tantum sacra-
menti, materiam vero esse actus contrahentium
matrimonium.* Postea autem distinet. 28. q. unic.
art. 4. in corp. existimat virum ipsum, & mulie-
rem, qui legitime contrahunt, esse quasi mate-
riam, & consensum ipsum per verba de præsenti
explicatum esse quasi formam, reliqua autem
tantum esse de solemnitate Matrimonii. Hæc au-
tem sunt ejus verba: *Nam de essentia Matrimo-
niī sunt personæ legitimæ ad contrahendum
quasi materia, & consensus per verba de præ-
senti expressus, quasi forma: alia vero sunt de
solemnitate sacramenti &c.* Sequuntur autem
hanc ultimam D. Thom. sententiam Palud. in
4. dist. 1. q. 4. & Hadrianus in q. 1. de Matrimo-
nio. Sed certe hæc opinio non videtur rationi con-
sentanea, nam contrahentes non possunt esse ma-
teria sacramenti cum ipsimet accipiant sacra-
mentum. Alii putant consensum mente concep-
trum habere rationem materiae, & verba quibus idem
consensus explicatur habere rationem formæ. Sed
hæc opinio defendi non potest, cum certum sit
in omnibus sacramentis materiam ipsam hujus-
modi esse, at revera sub sensu cadat. Alii autem
ut (a) Ricard. Victor. & Ledesm. dicunt verba,
quæ ab altero ex conjugibus primo proferuntur,
esse materiam, & quæ deinde ab altero esse for-
mam. Sed neque hæc opinio videtur probabilis,
nam materia in sacramentis debet esse certa, &
item forma, at vero incertum est uter eorum ver-
ba prius sit prolatus, casuque hic aut ille prius,
aut posterius verba ipsa proferat. Deinde fieri po-
test, ut ambo simul illa proferant, tuncque non
apparet, quæ verba essent materia, & quæ essent
forma, cum utraque simul proferrentur. Alia opi-
nio est Cani, qui in lib. 8. de locis theologicis c.
5. affirmit matrimonium si contrahatur sine Ec-
clesiæ ministro, nempe sine sacerdote, esse tantum
contractum naturale, & non sacramentum. Id
autem multis argumentis probare conatur, quæ
brevitatis causa prætermitto. Hoc posito, asserit
ipse materiam esse verba, sive signa alia externa,
quibus conjuges consensum explicant, formam
autem esse verba, quæ proferuntur a sacerdote,
nimirum: *Ego was in matrimonium conjungo
in nomine Patris, & Fili, & Spiritus sancti,*
seualia similia, & tandem ministrum esse ipsum
sacerdotem. Hæc est ipsius sententia. Si enim
Ecclesiæ minister deit, videtur contractus ille
(ut ipse putat) profanus, & mere civilis, &
non appareat cum more Ethnicorum celebre-
tur, quoniam pacto fieri possit, ut sit signum
satrum, & cæremonia sacra, & denique sa-
cramentum gratiam conferens. Deinde quia in
omnibus sacramentis necessario debet concurre-
re minister, at vero in hoc sacramento si absit sa-
cerdos nullus est reliquis minister, cum tamen
ex concil. Florent. constet ad sacramenti perfe-
ctionem non solum materiam, & formam, sed
etiam ministrum requiri. Hæc est igitur sententia
Cani, quæ licet fortasse aliquibus probetur, ta-
men si attente consideretur, vix defendi potest.
Nam licet varia concilia & Pontifices Sacerdo-
tis benedictionem, & alias solemnitates in ma-
tri-

[b] in 4.
sub dist. 28.
q. 2. art. 1. de
summ. initio
4. libri.

rimonio adhiberi velint, ut patet ex tit. 5. hujus libri, in quo de cærementiis, quæ observari solent, & in primis de benedictione agitur, tamen certum est, neque benedictionem, neque alias solemnitates ita innatas esse, & insitas sacramento matrimonii, ut sine his constare non possit, quod patet primum ex omnium fere Theologorum consensu, qui licet in explicanda forma, & materia sacramenti matrimonii in varias sententias distrahanter, vix tamen ullus est, qui affirmet, verba quæ dicuntur a sacerdote esse formam hujus sacramenti. Immo quando loquuntur Pontifices, & concilia de iis, sine quibus constare non potest matrimonium, semper significare vindicantur, consensum ipsum viri, & uxoris verbis, aut aliis signis explicatum, tantum postulari, ut patet ex Innoc. III. in c. *Cum apud*, de sponsal. in quo affirmat mutum, & surdum posse matrimonii vinculo conjungi, cum sufficiat, ut ipse ait, ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur, & in c. *Fuit*, eod. tit. *Matrimonium*, inquit, in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimientia de praesenti. Hæc Innocent. Præterea idem etiam afferit Alexander III. in c. *Cum locum*, eod. tit. in quo hæc sunt verba: *Matrimonium autem solo consensu contrahitur*, & ubi de ipso queritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, quidem invitis solet nuptiis prevenire. His accedit concilii Florentini decretum, in quo hæc afferit concilium de ipso consensu. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Neque vero quisquam hæc de cœcta interpretari potest, ac si de matrimonio loquantur, ut est tantum contractus naturalis. Nam cum matrimonium in lege nova illud præcipuum habeat, quod sit sacramentum, & gratiam conferat, certe in his decretis præcipue agitur de ipso matrimonio ut sacramentum est, & in primis in concilio Florentino quia disputatio ibi a concilio suscepta est de septem sacramentis, & ita cum loquitur de sacramento matrimonii hæc verba proponit: *Sepimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi*,

(a) *Ephes. 1.* & *Ecclesiæ secundum Apostolum* (a) dicentem: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Præterea cum verba formæ in sacramentis, saltem quod attinet ad illorum vim, & lensum, sint certa jure divino, & eadem apud omnes. Contra vero quæ a parocho proferri solent non sunt eadem in omnibus Ecclesiis, sed sunt magnæ ipsorum verborum dissimilitudines & varietates, ut patet ex multiplici regionum consuetudine, & usu. Immo Concil. Trident. videtur innuere ipsius parochi & testium præsentiam, sine ulla verbis satis esse ad matrimonium contrahendum. Hæc enim sunt concilii verba Sess. 24. c. 1. de reform. matrim. *Qui aliter, quam præsente parocho, vel alioſā cordore de ipsius parochi, seu ordinarii licentia,*

& duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendū omnino inabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Ex his itaque omnibus perspicuum est, verba quæ parochus profert, cum vir, & mulier contrahunt, ad formam non pertinere.

Cum igitur certum sit Matrimonium esse Sacramentum, & ex altera parte hæc omnes opiniones, quæ hæcenus proposita sunt, merito sint refutatae, oportet adhuc diligentius nam perpendere, & amplius materiam, & formam hujus Sacramenti investigare. Ut autem utraque reperiatur operæ pretium erit verba Concilii Florentini attente considerare. Licet enim aperte in eo decreto de instruct. Armen. materia, & forma in hoc Sacramento non proponantur, ut proferuntur in baptismo, & in aliis, tamen possunt ex illo vere colligi. Iplum namque Concilium ait *causam sufficientem matrimonii esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum*. Cum igitur materia, & forma adjuncto ministro afficiant Sacramentum, certe si mutuus consensus est causa efficiens matrimonii, aut afferit Concilium idem, etiam mutuus consensus erit materia, & forma Sacramenti matrimonii. Omittimus modo ministerium cum loquamus de consensu. Hoc posito, illud dubitationem habet quoniam modo consensus verbis, vel aliis signis explicatus, possit esse materia, & forma hujus Sacramenti, & certe id videtur necessario dicendum consensum viri, & consensum foeminae sibi invicem esse materiam & formam. Verba enim, sive alia signa consensum explicentia, quæ ab unoquoque profiscuntur, sunt materia quatenus ab ipso profluent, & formam accipiunt a verbis, sive a signis alterius conjugis. Itaque cum ad verba unius accedunt verba alterius, mutuum consensum significantia, tunc efficitur vinculum conjugale: & hoc modo consensus ille est materia, & forma Sacramenti matrimonii. Hæc autem sententia videtur primum colligi, ut dictum est, ex *Cosci. Florent.* item ex D. Thom. Eamdem tenet aperte Dom. Sotus dist. 25. q. 2. art. 3. Sed illud adhuc negotium facit quis sit hujus Sacramenti minister, cum certum sit in omnibus Sacramentis ministri operam necessariam esse. At vero cum munus ministri sit formam materiæ applicare, nullum quidem minister possumus hoc loco constituere præter ipsos met contrahentes. Cum enim unitas cujusque consensus sit in vicem materia, & forma, ut diximus, item quisque invicem erit minister, quatenus adhibet suum consensum signis externis informantem, ut ita dicam, & perficientem alterius consensum. Neque vero inde sequitur duos esse ministros, nam licet ipsi, qui contrahunt sint duo, tamen ratio, qua uterque concurrit, una est, nimis quatenus consensu suo informat, & perficit alterius consensum. Atque hæc modo accurrit de materia, forma, & ministro Sacramenti matrimonii, de quibus consentaneum fuit hoc loco disputare, ne hujusmodi disputatio, quæ in aliis Sacramentis primum fere locum tenere sollet,

let, in hoc perperam prætermissa videretur.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum I.

Multa hoc loco dici poterant de matrimonio & quoniam modo fuerit ab initio institutum, & postea a Christo in lege nova non solum approbatum, verum etiam in numero Sacramentorum repositum: sed his omittis, quæ longam postulant disputationem, certum est a variis olim haeticorum generibus, & in primis a tribus suis oppugnatum, nimurum a Manichæis, item a Priscillianistis, qui permulta ab ipsis Manichæis accepérunt, & præterea ab Eustathio, ejusque discipulis. Contra hanc hæresim extant multa apud D. Leonem in epist. 91. ad Turibium Asturicen. Episcopum, & in Concil. I. Toletan. in fin. & in Concil. Bracaren. c. 11. & in Concil. Gangren. c. 1. & 9. & in aliis ejusdem Concilii decretis. Cum igitur hic liber sit de matrimonio, operæ pretium videtur ab hoc titulo exordire, eaque de cœta statim a principio in medium proponere, quæ hanc hæresim damnant, & matrimonii dignitatem tuerentur.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum II.

Disputant de sponsalibus Theologi dist. 27. agitur autem de iis hoc loco, quia sponsalia sunt via quadam, aut velut præparatio ad Matrimonium. Quare merito hic titulus de sponsalibus antecedit eos, qui proprii sunt matrimonii. Sunt autem sponsalia (ut patet ex l. 1. D. de sponsal.) *mentio, sive re promissio futurarum nuptiarum.* Non posunt autem contrahi sponsalia ante ætatem septem annorum, ut constat ex c. Literas, ex c. Accessit, & ex c. Ad dissolvendum, de desponsis, impub. & ex c. unic. eod. tit. in 6. & ex l. In sponsalibus contrahendis, D. de sponsal. At vero cum ætate legitima contrahuntur, non solum valent si sponsi præfentes consentiunt, verum etiam si per procuratorem, aut per literas suum præstant consensum l. ult. D. de sponsal. Liceat autem ex sponsalibus oriatur obligatio contrahendi matrimonium cum sit promissio in re gravi, tamen ecclesia non solet cogere saltem semper, sed tantum mone re eum, qui non vult stare promissis, ut patet ex c. Præterea, 1. de sponsal. Ratio autem cur non cogere soleat, ea est, quia matrimonium maximum postulat libertatem c. Gemma, de sponsal. Quare etiam cum sponsalia sunt jurejurando firmata, non solet Ecclesia semper cogere; si enim videt periculum esse, ne inimicitiae, & alia damna in Rem publicam redundant, tunc non solet compellere, sed tantum monere, ut apparet ex c. Requisivit, de sponsal. Si autem videt nullum imminere periculum, tunc compellit cum qui si dem violare vult ad eamdem, ut ratio postulat, servandam, ut constat ex c. Ex literis, 2. eod. tit. & hoc modo conciliantur hæc duo capita, quæ alias inter se repugnare videntur: nam in c. Requisivit, ait Lucius III. eum, qui se jurejurando abstrinxit, non esse cogendum, & Alexan. III. in c. Ex literis, 2. afferit eum, si admonitus, parere noluerit, esse ecclesiastica censura compellendum: & hoc modo explicant multi Doctores hæc duo capita, ut Abb. in d. c. Requisivit, & gloss. ibid. & Covar. in Epitom. in 4. decretal. p. 1. c. 4. num.

5. & alii. Non est autem hic sponsalium contractus omnino firmus, ut matrimonium: dissolvuntur enim sponsalia mutuo dissensu c. 2. de sponsal. & matrim. Item si alter ex iis, aut ad religionem se confert c. 2. c. Ex publico, de convers. conjug. aut matrimonium per verba de presenti cum alia persona contrahit c. ult. de sponsal. & matrim. Et denique aliis multis modis quos afferunt variis Doctores (a).

In Partis II. Lib. XVII. Titulum V.

De benedictione nuptiarum multa sunt in jure antiquo, & etiam in novo; & ut ea, quæ sunt in jure antiquo omittam, in Concil. Trident. magna est mentio hujus benedictionis, horataturque ipse Synodus conjuges ne simul cohabitent usque dum benedictionem acceperint. Hæc enim sunt ipsis Synodi verba sess. 24. c. 1. de reform. matr. *Sancta Synodus hortatur ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent &c.* Illud autem animadvertisendum est, benedictionem tantum adhiberi primis nuptiis, & non secundis, aut tertiiis, ut patet ex c. 1. & ex c. Vir, de secund. nup. quod adeo verum est, ut licet alter tantum ex conjugibus fuerit iterum matrimonio copulatus non possit ipsis nuptiis adhiberi benedictio d. c. Vir, de secund. nupt. & ratio est, ut aliqui putant, quia non oportet hujusmodi benedictiones iterari, ne forte contemnantur.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum VII.

Praeter canones, qui in hoc titulo continentur, est c. Capellanus, de feriis, in quo Pont. Max. prohibet nuptias celebrari ab Adventu usque ad Epiphaniam, & a septuagesima usque ad octavam Paschæ, & a tribus lytaniarum diebus, usque ad septimum diem Pentecostes. Sed modo ex decreto Concilii Trident. hoc temporis spatium fuit coactatum, ut patet ex sess. 24. cap. 10. de reform. cuius hæc sunt verba: *Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphanie, O' a feria quarta cinerum usque in octavam Paschatis inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus precipit, in aliis vero temporibus nuprias solemniter celebrari permittit &c.* Sed hæc prohibitio intelligenda est de solemnitate nuptiarum, nimurum de benedictione, & de traductione solemnis uxoris in viri domum; nam sponsalia ipsa, & matrimonium quocumque tempore contrahi possunt, ita sentit gloss. in d. c. Capellanus, S. Thom. & Palud. in 4. dist. 32. Caget. in sum. verb. *Nuptiarum peccata, Silvest. verb. matrimonium 7. q. 2. Navarr. in Sum. c. 22. num. 71.*

In Partis II. Lib. XVII. Titulum IX.

De hac re possumus bifariam loqui; aut enim petitur debitum conjugale, aut redditur, si reddendum est, non excusat quadragesima, neque tempus aliud sacrum, & hæc est communis Theologorum (b) Sententia in 4. dist. 32. & eorum, qui summas scribunt, verb. *Debitum conjugale,* aut in verbo *Matrimonium.* At vero si loquimur de eo, qui petit, operæ pretium est diebus sacris abstinere, tam si revera petit, non excusatibus omni-

(a) Vid.
Navar. in
summ. c.

(b) Vid.
Navar. in
summ. c. 16.
num. 24.

omnino, ut D. Thom. sentit in 4. dist. 32. art. 4. in solut. 2. & 3. argumenti. Immo si eo tempore ex contemptu petit debitum, committit peccatum mortale, ut patet ex D. Thom. d. dist. 32. art. 4. in solut. 3. argumenti.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum X.

CUM haec tenus actum sit de consensu, & de cæremoniis, & de aliis rebus, quæ spectant ad matrimonium, nunc jam in hoc titulo, & in aliis, qui sequuntur, agitur de impedimentis, quæ prohibent, quominus matrimonium contrahi possit. Illud autem hoc loco primo animadvertisendum est, impedimenta (ut inter omnes constat) esse duplia, alia enim sunt impedientia simul, & dirimentia, hoc est, sunt hujusmodi, ut non solum contrahentes peccant, verum etiam matrimonium sit nullum, neque vero dicuntur dirimere, ac si matrimonium a principio sit ratum, sed quia prohibent, quominus contrahi possit. Itaque licet dirimentia appellantur, non dirimunt revera, neque dissolvunt matrimonium contractum, immo sunt hujusmodi, ut prohibeant quominus matrimonium valeat, & sit firmum. Sunt autem impedimenta hujus generis multa, ut consanguinitas, & affinitas, & votum solemae religionis, atque alia multa, quæ longum eset commemorare. Alia vero sunt impedientia tantum, id est sunt hujusmodi, ut revera illi, qui contrahere volunt, non possint, & peccent si matrimonium contrahunt, sed nihilominus se conjungunt inter se actu matrimonii vinculo, valeat ipse contractus, & sit ratus, atque firmus, ut votum simplex callicitatis, & alia quæ afferuntur a doctoribus. His positis illud, quod in hoc titulo continetur, certum est, fidelis non posse matrimonium contrahere cum infideli, ut patet ex decretis, quæ sunt in hoc titulo. Non solum autem contrahere non potest, sed si re ipsa fidelis vir uxorem ducat mulierem infidelem, aut contra mulier fidelis nubet viro infideli, matrimonium non valet, ita D. Thom. in 4. dist. 39. art. 1. gloss. in can. *Cave*, 28. q. 1. & alii doctores. At vero, si loquitur de matrimonio fidelis viri cum haeretica feminâ, aut contra fidelis feminâ cum haeretico viro, certe licet ipsi peccent, tamen matrimonium est firmum, & in hac sententia est S. Thom. d. dist. 39. q. unic. in solut. 1. arg. & Sotus, & alii in ead. dist. Exstat in Concil. Trull. c. 12. in quo hujusmodi matrimonium dicitur esse nullum, sed improbatum illud decretum communiter, quemadmodum & alia nonnulla, quæ sunt in eodem concilio. Itaque ut omnia in pauca conferam, aut matrimonium contractum est inter duos fideles, & tunc tam actum est illud vinculum, ut quantumvis alter labatur in heresim, aut omni ex parte discedat a christiana religione, seque conferat ad Iudeos, aut ad Paganos, nullo modo matrimonium illud dissolvi possit, ut patet ex c. *Quanto*, *dedivortiis*, in quo Innocent. III. aperte tuerit hanc sententiam. Aut contra ambo, nimis vir, & uxor sit infidelis, & tunc matrimonium valet, ut contractus naturalis. Si autem postquam hi infideles contraxerunt, ambo convertantur ad

fidem, non potest matrimonium illud dissolvi. Si autem unus tantum se trasfert ad religionem christianam, & alter adhuc est infidelis, illud considerandum est, num ipse, qui adhuc est infidelis, afferat impedimentum ei, qui jam christianam religionem profitetur, & si nullo modo impedit, adhuc matrimonium est firmum, si vero blanditiis, aut nimis, aut alio quocumque modo conatur eum ad infidelitatem revocare, tunc non solum potest fidelis quoad torum infidelem dimittere, verum etiam omnino ab illius conjunctione discedere, & alteram uxorem ducere, ut patet ex c. *Quanto*, & ex c. *Gaudemus*, de *divortiis*, in quibus haec fere omnia, quæ modo dicta sunt, ab Innocent. III. probantur. Aut tandem vir fidelis mulierem haereticam duxit, vel contra feminam fidelis viro haeretico nubit, & valet matrimonium, ut supra probatum est.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XI.

CERTUM est non posse conjungi matrimonio eos, qui voto castitatis tenentur astricti, etiæ votum violant, mortaliter peccare, atque hoc probatur his omnibus decretis, quæ in hoc titulo continentur, & aliis multis, quæ sunt in jure novo. Si autem re ipsa qui votum antea fecerat uxorem duxit, tunc aut votum est simplex aut solemne, si simplex est cedit votum matrimonio, estque ipsum matrimonium firmum c. unic. de voto in 6. At vero ipse, qui violavit ea ex parte, quæ potest, debet servare votum, atque ita non potest petere a conjugi debitum, licet reddere teneatur. Deinde si uxor e vivis excedit, eodem vinculo tenetur astrictus, nonque potest alteram ducere. At vero si votum est solemne, ut si quis est initatus sacrâ, aut se religione approbatæ addixit, & illius regulam, sive normam profellus est, matrimonium non valet, ut patet ex eod. c. unic. de voto in 6. in quo haec verba sunt: *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis*, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem saeculi ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per fidem Apostolicam approbatis. Hæc Bonifacius VIII. Idem etiam appareat ex extravagant. *Antique*, de voto. Et præterea qui actu contrahere audet est ipso jure excommunicatus. Clem. unic. de consanguin. & affinit.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XII.

HIC titulus intelligendus est de iis, qui poenitentiam publicâ, & non quamcumque, sed solemnem olim agebant. Non solum autem hujusmodi poenitentes, non poterant ducere uxores, verum etiam non poterant ipsis uxoris uti, jam eas habebant, & hanc ob causam cum alter ex conjugibus sua sponte poenitentiam suscipiebat, semper alterius conjugis consensus postulabatur. Hæc autem summa severitas postea fuit aliqua ex parte a D. Leone temperata, ut patet ex ejus decreto, quod in hoc titulo continetur. Sed jam de hac re actum est supra part. II. lib. XIV. tit. XIII. de poenit. publ.

In

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XIII.

HOC impedimentum notissimum est. Olim autem numerabantur septem consanguinitatis gradum intra quos non potest matrimonium contrahi, ut patet ex variis decretis, quæ sunt in hoc titulo. Postea vero in Concil. Later. sub Innoc. III. fuerunt quatuor tantum constituti, ut constat ex cap. *Non debet*, de consang. & affinitat. intra quos non solum matrimonium non valet, verum etiam, si re ipsa aliqui contrahere velint, incident ipso facto in excommunicationem, qui de industria habentes cognitionem impedimenti audent matrimonia conjungere Clem. unic. de consang. & affinit. Immo modo in affinitate, quæ oritur ex concubitu illico, tanto prohibentur duo gradus, ut appareat ex Concil. Trident. Sess. 24. c. 4. de reform. matr. cuius verba hæc sunt: *Præterea sancta Synodus eisdem & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, Matrimonium postea factum dirimit ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, restrinquit. In ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.*

Illud autem fortasse aliquis in hoc loco improbabit quod statim a principio collocatur decretum recentius, in quo prohibetur tantum Matrimonium intra quatuor gradus consanguinitatis, & affinitatis, & deinde antiquiora, in quibus est mentio de septem gradibus. Sed id sine dubio postulat ordo, qui servatur in hac collectione, in decretis collocandis, nam primum caput est Concilii generalis decretum, & hac de causa ponitur primo loco.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XIV.

DE hoc impedimento vide quæ supra dicta sunt in lib. XXII. de cognatione, quæ oritur ex baptismo.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XV.

HIC titulus est velut pars tit. XI. in quo prohibentur ii, qui voto castitatis se obstrinxerunt, uxores ducere. Hujusmodi enim Clerici eamdem ob causam nimirum quia votum castitatis adjunctum est ex Ecclesiæ statuto ordini sacro matrimonium contrahere non possunt. Illud autem certum videtur arctius esse vinculum eorum qui religionem aliquam approbatam professi sunt quam Clericorum, qui sunt sacris iniciati, ut patet ex eo, quod matrimonium ratum, dummodo consumatum non sit, dissolvitur religionis professione, at vero non dissolvitur per susceptionem ordinis sacri. Si quis enim se matrimonio conjunxit, licet illud consumatum non sit, si re ipsa ordines sacros suscepit, non propterea dissolvitur matrimonium, ut patet ex Extrav. *Antiquæ*, de voto, in qua his verbis utitur Joannes XXII. *Antiquæ concertationi finem cupientes imponeare, ac animarum periculis inde provenientibus salubriter providere, de fratrum nostrorum consilio presenti declaramus editio, quod licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis quantum ad impediendum matrimonium*

contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum, sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen prius contractum, etiam si per carnis copulam non fuerit consumatum (cum nec jure divino, nec per sacros reperiamus canones hoc statutum) invalidum est censendum. Hactenus Joannes XXII. Constat præterea arctius illud religiorū vinculum esse, quia cum multi Theologi, & præter ceteros D. Thom. in 2. 2. q. 88. art. 11. existimant Pontificem Max. non posse dispensare in voto solemni castitatis, tamen omnes fatentur posse dispensare in voto, quod est adjunctum ordini sacro, cum hoc tantum sit ex Ecclesiæ statuto, ut appareat ex ipso D. Thom. eod. art. At vero licet Clericorum votum non sit tam firmum, tenentur tamen sine dubio castitatem servare; et si post ordines sacros susceptos aliquis ex illis uxorem dicit, matrimonium est nullum, & jam a principio fere nascentis Ecclesiæ hic mos viguit, ut qui sacris iniciarentur nullo modo uxoribus jungi possint, ut patet ex epist. 1. Syricii Pont. Max. & Innoc. & aliorum epistolis, & decretis, qui non solum clericos sacris iniciatos uxores ducere vetant, verum etiam, si jam uxoribus sunt adjuncti, ab iisdem ipsis abstinere jubent.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XVIII.

NON solum qui sacris iniciatus est, uxorem ducere non potest, verum etiam nullus, qui uxorem habet, potest ad sacros ordines ascendere, nisi ipsa etiam uxor voto castitatis se obstringat. Illud autem observandum est licet magnum sit discrimen de modo castitatis servandæ inter presbyteros latinos, & græcos, tamen quod ad uxorem duendum attinet nihil interest inter hos, & illos: eodem enim modo Græci prohibent a contrahendo matrimonio, si sacris iniciati sunt, atque latini, ut patet ex Concil. Trull. c. 3. & ex aliis decretis. Si vero sunt jam utrique uxoribus juncti, tamen magnum est discrimen inter latinos, & græcos. Græci enim non servant castitatem latinorum more, sed utuntur uxoribus, quas ante sacrorum ordinum susceptionem duxerunt, licet si illæ quas habent, moriuntur, non possint aliis conjungi, ut patet ex eod. Concil. Trull. c. 12. & 13. hæc est igitur consuetudo græcorum. At vero latini si sacris iniciari volunt, & uxores habent, adeo tenentur castitatem servare, ut nullo modo post sacros ordines susceptos uti matrimonio valeant. Quam ob causam ne fiat uxori injuria exquiritur illius consensus, immo necesse est ut ipsa etiam castitatis voto se obstringat. c. *Conjugatus, & c. Sane, de convers. conjug.* Præterea ne ulla suspicio possit esse, licet olim hujusmodi uxor saltem in nonnullis regionibus apud virum habitare posset, ut appareat ex Concil. Turonen. II. c. 10. 11. 13. 14. 20. tamen postea cautum fuit non solum ne apud virum habitaret, verum etiam ut in monasterio inclusa vitam degret, & ibi continentiam profiteretur: præseriū si juvenis esset, & periculum violandæ castitatis aliqua ex parte immineret, ut patet ex communi Ecclesia usu. Hæc autem Ecclesiæ latinæ consuetudo

tudo de continentia Clericorum tam antiqua est, ut nullum ejus initium reperiatur, ut constat ex Syrici, Innocentii, & Leonis decretis, qui acerbissime invehuntur in Clericos sacris initiatos, qui cum uxoribus concubunt: neque vero loquuntur de hac continentia, tamquam de re nova, & ab illis tunc constituta, sed tamquam de veteri, & multorum jam annorum usu confirmata. Sunt autem hi Pontifices antiquissimi, ipseque Syricius mille ducentos ab hinc annos Romanæ presuit Ecclesiæ. Non solum autem ex horum Pontificum decretis, verum etiam ex aliorum Patrum testimonio apparet, quam fuerit antiqua consuetudo, ut ex D. Hieronymo contra Jovinianum hæreticum, & ex epist. 50. ad Pammachium, in qua hæc verba profert: *Apostoli, vel Virgines, vel post nuptias continentes; Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici.* Hac Hieronymus. Ex cujus verbis quisque colligere potest, hunc usum abstinendi ab uxoribus, initium ab ætate Apostolorum duxisse, fauisseque priscis illis temporibus perpetua Ecclesiæ traditio ne confirmatum. Neque vero quisquam putat, hoc continentia genus Ecclesia tantum latinæ fuisse: idem enim usus olim sine dubio apud Græcos etiam, & Orientales omnes viguit, quod ex antiquissimis Sanctorum Patrum monumentis colligi potest. Primum enim idem D. Hieronymus contra Vigilantium id affirmit. Ait enim: *Quid faciunt Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines, Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint meriti esse defierunt?* Hactenus Hieronymus. Est præterea hujus rei testis locupletissimus Epiphanius, qui non solum sanctitate floruit, verum etiam inter Græcos numeratur, ipsorumque Græcorum usum, & mores cognitos habuit: *Sanctum, inquit, Sacerdotium ex Virginibus ut plurimum procedens: si vero non ex Virginibus, at ex solitariam vitam degentibus: si vero hi non sufficerint ad ministerium, ii, qui continent a propriis uxoribus accipiuntur.* Hac Epiphanius. Quare licet aliqui putent, moræ, quæ modo Græci tenent, antiquissimum esse, sane hallucinantur, cum ex horum Patrum testimonio perspicuum sit eamdem tunc consuetudinem Occidentalis Ecclesiæ, & Orientalis extitisse. Scio Socratem in historia ecclesiastica afferere Patres in Concilio Nicæno voluisse canonem statuere de continentia Clericorum, fauisseque a Paphnutio Episcopo viro Sanctissimo admonitos, ne jugum illud presbyteris, & aliis Clericis imponerent, atque ita Patres ipsos Paphnutii consilium sequentes a lege illa fereda abstinuisse. Quibus verbis Socrates significare videtur, eo tempore apud Græcos eamdem consuetudinem viguisse, quam modo retinere videmus. Sed certe in hac re non videtur Socrati fides habenda, major est enim auctoritas Hieronymi, & Epiphanii tum propter sanctitatem, tum etiam propter antiquitatē: floruerunt enim paulo post Synodus Nicænum, & tamen affirmat uterque, ut supra diximus, uxorum usum, illa

ætate nullo modo presbyteris fuisse permisum. Deinde neque Eusebius, neque Theodoretus, neque Sozomenus, neque alias historiæ Ecclesiasticae scriptor mentionem hujus rei facit. Præterea ex ipso net Concilio Nicæno possumus Socratis opinionem refellere: prohibet namque ipsum Concilium in can. 6. fœminas apud Clericos habitare, excepta matre, sorore, amita, & aliis hujusmodi cognatis, ex quibus suspicio nulla contra Clericos oriri potest. Cum autem hæc excipiatur, non numeratur inter illas uxor, quæ certe, si usus matrimonii Clericis, qui sacris erant initiati, tunc fuisset permisus, primo loco fuisset numeranda, cum jure posset non solum eam domo retinere, verum etiam ex eadem filios procreare. Quare, quicquid Socrates dicat, apparet ea jam ætate non fuisse solitas Græcos domi uxores retinere. Fateor, postea consuetudinem, quæ modo apud eos viget, fuisse introductam, quæ sane, licet posterior sit Concilio Nicæno, tamen antiqua est, ut patet ex Concilio Trulliano quod 900. ante annos habitum fuit, in quo multa sunt de hac Græcorum consuetudine, loquiturque Concilium non tamquam de re tunc a Patribus illis constituta, sed jam multorum annorum usu confirmata, ut apparet ex c. 3. 13. ejusdem Concil. Itaque & retinent Clerici sacris initiati uxores ibidem, & utuntur illis, neque Ecclesia Romana improbat hanc ipsorum consuetudinem, sed permittit illos in hac re uti sua consuetudine. Itaque uxorum usus (ut omnia paucis complectar) prohibetur latinis, & permititur Græcis, quod aperte colligitur tum ex c. *Cum olim*, de Cleric. conjug. tum etiam ex longo usu, & consuetudine, quam non improbat in illis Ecclesia Romana: quod item colligi potest ex Concil. Flor. in quo ipsi Græci, qui jam diu antea a Romana Ecclesia, & a Pontifice Max. defecerant, ad eundem redierunt, ibi enim detestati fuerunt hæreses, quas antea sequebantur at vero quod attinet ad ritus, & ad consuetudines quasdam proprias, non prohibuit illos Concilium easdem ut antea retinere.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XIX.

Olim, ut jam alias dictum est, mos fuit in nonnullis regionibus, ut uxores presbyterorum, & diaconorum apud viros habitarent, ut patet ex multis decretis Concilii Turonensis II. Sed degebant ipsæ sejunstæ, & separatae omnino ab ipsis viro. At vero postea propter periculum, aut propter suspicionem quam vix aliquando hujusmodi presbyteri uxores domi retinebant, effugere poterant, cautum fuit, ne ipsæ uxores apud viros vitam agerent, sed in cœnobio, aut saltem in loco aliquo honesto se juncto a viri habitatione degerent. Itaque præter continentiae votum, quo uxor se obstringere debet, ut patet ex cap. *Conjugatus*, & ex cap. *Sane*, de conversi. conjug. necesse est ipsam remotam a conspectu viri agere vitam, quod communi Ecclesiæ consuetudine confirmatur. Quare decreta, quæ in hoc titulo videntur facere potestatem presbyteris retinendi uxores, dummodo caste, vivant, jam omnino obsoleverunt, & fuerunt penitus sublata.

In

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXI.

Dé hujusmodi impedimento extat titul. in decretal. de eo, qui duxit in matrimonium quā polluit per adulterium. Est autem notandum hoc crimen bitariam committi posse: aliquando enim conjugatis cum homicidio, ut si unus ex conjugibus afferat alteri mortem, ut possit matrimonio cum adulterio conjungi, & tunc si uterque adulteri mortem conjugis fuerit machinatus contrahendi matrimonii causa, ipsum matrimonium non valet, immo neque firmum est quamvis adulterium non intervenerit, si ambo revera hoc animo egerint inter se de conjugis morte, ut patet ex c. Laudabilem, de convers. infidel. si vero cædes facta est non animo contrahendi, sed aliam ob causam, tunc non impeditur matrimonium, ut appareat ex d. c. Laudabilem. At vero si ille interfactus est non simul utriusque adulteri confilio, & opera, sed alterius tantum, tunc non impedit sola cædes, nisi adulterium item intervenerit c. Super hoc, & ibi Abb. & Joann. Andreas de eo, qui duxit in matrim. quā polluit.

Si autem adulterium non est coniunctum cum homicidio, tunc aut ipse adulteri fidem dedit, se post obitum conjugis contractrum matrimonium, aut re ipsa contraxit, & certe cum hoc contingit, considerandum est, num uterque cognoverit impedimentum illud, nam si ambo sciebant, matrimonium non valet cap. 1. eod. tit. si vero alter eorum ignorabat, exempli causa, si vir credebat fœminam illam non esse nuptam, aut ipsa mulier existimabat hominem illum non habere uxorem, tunc matrimonium est firmum, ut appareat ex eod. c. 1. & ex cap. Veniens, eod. tit. Atque hæc de hoc impedimento cum simul adulterium commissum fuit, & paucum de contrahendo intercessit, sive ipsi adulteri re ipsa contraxerunt. Si autem hæc non simul concurrunt, sed tantum fides fuit data, & adulterium non intervenit tunc temporis, valet matrimonium, quod post mortem conjugis contractum est cap. ult. eod. tit. & tandem contra cum adulterium tantum est commissum, sed fides non fuit data, potius etiam, post mortem conjugis, hujusmodi adulteri, nisi aliud impedimentum obstat, matrimonio conjungi cap. Significasti, eod. tit.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXII.

Videntur magna ex parte impedimenta hæc quæ nascuntur ex delicto esse consuetudine jam iuolata. Illud certum est inter raptorem, & raptam, quamdiu illa retinetur apud raptorem, non posse matrimonium consistere, ut constat ex Concil. Trid. sess. 24. c. 6. de reform. matrim. cuius hæc sunt verba: Decernit sancta synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si raptam a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in viro habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat c.

Præterea de crimine incestus, quod olim, ut ex decretis hujus tituli appareret, afferebat impedimentum matrimonio contrahendo magna est du-

Tom. V.

bitatio, num hac nostra ætate fuerint jam hi canones contraria consuetudine sublati, an vero adhuc habeant vim, & revera impedian, præferentim cum idem item decernatur in c. 1. & 2. de eo qui cognovit consanguin. uxor. sua. Vide de hac re Navarr. in sum. c. 22. num. 74. & 75.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXIV.

Licet Clericus, qui sacris non est initiatus (de hoc enim agitur in hoc tit.) uxorem viduam aut meretricem ducere prohibetur, tamen si eam dicit conjugium est firmum, & valet. At vero quamvis ipsa uxor consentiat, & profiteatur castitatem, vel moriatur, non potest jam clericus amplius, qui hujusmodi uxori se conjunxit, ad superiores ordines ascendere, quia hujus matrimonii causa inter bigamos numeratur.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXV.

HIC titulus late continetur in libro X. Quod vero ad hunc locum pertinet, illud certum est, matrimonium inter servos, etiam invitis dominis, contrahi posse c. 1. de conjug. serv. apud Greg. IX. Si autem aliquis liber cum ancilla, aut libera cum servo contrahit, illius conditionem ignorans, & postea simulatque agnoscit, statim diligenter, matrimonium est nullum, nisi fortasse novus consensus accedit c. 2. & c. ult. eod. tit. & est communis Theologorum sententia in 4. dist. 36. Licet autem possit matrimonium contractum inter liberum, & servam ipse dominus illam manumitteret, adhuc matrimonium esset nullum nisi vir ipse consensum novum adhiberet. Cum enim prior ille consensus non valuerit, certe, licet ipsa ancilla fuerit manumissa, adhuc matrimonium erit nullum, nisi novus consensus accedat.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXVI.

Dubius modis loqui possumus de disjunctio- ne viri, & uxoris, aut quoad torum tantum, aut quoad vinculum conjugale. De priore modo extat hic titulus, de posteriori vero ipse titulos, qui proxime sequitur.

Certum est posse uxorem quoad torum dimitti varias ob causas. Primum si est adultera, ut patet ex hoc tit. imo si adulterium est notorium, potest vir illa domo eicere, aut si vir est adulter, potest uxor ab eo discedere etiam auctoritate propria c. Significasti, de divortiis. Si autem adulterium non est notorium intervenire debet judicis auctoritas, ut possit alter ab altero discedere (a) : quamvis si adulterium est certum, & notum ipsi conjugi, licet occultum, possit debitum negari propria voluntate, nisi fortasse adulterium ab altero fuerit etiam commissum, tunc enim, cum uterque sit in eadem culpa, crimen unius ermine alterius compensatur, neuterque jam potest alterum repellere c. Intelleximus, de adulteriis, c. Significasti, & c. Ex literis, de divortiis.

Deinde potest vir uxorem dimittere, aut vir ab uxore separari, si ante consummatum matrimonium ad religionem se confert. Sed de hoc infra erit disputatio.

Præterea si alter ex conjugibus incidit in heresim, potest illa qui Catholicus est ab heretico discedere c. Quæsivit, de divortiis, & item ad reli-

G ggg

gio.

(d) Navar.
in sum. 22.
num. 23.

gionem se transferre cult. de convers. conjug. ubi Abbas. Hoc tamen intelligendum videtur si fuerit conjux catholicus ab heretico judicis auctoritate separatus, ut appareat ex d. c. ult. de divorciis. Non solum autem cum conjux est hereticus verum etiam cum est alio crimine infectus compellitque conjugem alterum ad peccandum, potest tunc si nullum aliud suppetit remedium conjux innocens ab altero disjungi; ut sentit Palud. in 4. distinct. 39. & Innocent. in cap. *Maritis*, de adulteriis. At vero secus est, si non afferat causam peccandi alteri conjugi, licet ille peccator sit, tunc enim non possunt mutuo separari, ut patet ex cap. *Quæsivit*, de divorciis, ubi dd. juris canonici, & ex D. Thom. in 4. dist. 39. q. unic. art. 1. in solutione 1. arg. & appareat etiam ex Ecclesiæ consuetudine. Item potest alter conjux ab altero discedere, si fortasse oriuntur inter ipsos inimicitia, alterque alterius vita insidetur, ut non possit sine magno periculo cum altero habitare, c. *Literas*, in fin. de restit. spoliat.

In Partis II. Lib. XVII. Tit. XXVII.

IN superiori titulo actum est de caussis, ob quas possunt conjuges inter se quoad torum, & habitationem mutuo disjungi: restat modo alterum membrum, nimirum num matrimonium dissolvi possit quoad vinculum conjugale, de quo est hic titulus. Ut autem nonnulla, quæ hoc loco occurunt, commode explicari valeant, illud observandum est, matrimonium (ut alias diximus) duobus modis considerari, vel ut est sacramentum, vel ut est contractus naturalis, & certe apud Christianos, apud quos & sacramentum, & contractus naturalis est, tam arctum est illius vinculum, ut si consummatum nulla ratione dissolvi valeat. Itaque licet alter ex conjugibus a fide discedat, aut quomodocumque alteri peccandi occasionem afferat, aut ejus vir insidias pareret, poterunt quidem conjuges, ut dictum est, mutuo separari, sed nullo modo poterit vinculum conjugale dissolvi. Immo cum tantum ipsum matrimonium est ratum, & non consummatum, una cauſa tantum reperitur, ob quam juste dirimi potest, nempe, si uterque conjux, aut saltem alter ex illis se religioni approbatæ addicit, & illam profitetur. Constat item ob alias aliquas gravissimas causas, vinculum matrimonii rati, & non consummati fuisse auctoritate Pontificis Max. aliquando dissolutum, at vero nos non loquimur de dispensatione, quæ tamen numquam sine justissima cauſa in hac re concedi solet, sed agimus tantum de his, quæ communiter accidunt, & quæ propria auctoritate fieri possunt.

Si autem loquimur de matrimonio infidelium, quod tantum est, ut patet, contractus naturalis, etiam sane vinculum illud est firmissimum, & perpetuum, tamen si alter ex infidelibus ad religionem christianam se confert, & alter non vult ipsum sequi, immo afferat impedimentum, conaturque conjugem suum ad infidelitatem revocare, potest sine dubio vinculum illud omnino dissolvi, & qui jam Christianus est alijud matrimonium contrahere, ut appareat ex e. *Quanto*, & ex c. *Gaudemus*, de divorciis.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXVIII.

Alo continetur, non cadit in dubitationem, neque ulla indiget probatione. Sed quia scimus olim viros aliquos sanctos habuisse multas uxores in matrimonio, ut patet ex Davide Rege, & ex aliis, posset quispiam dubitare, num hæc uxorum multitudo juri naturali repugnet. Sed ut sollemus hunc nodum, illud animadvertisendum est, multis modis posse aliquid juri naturali aduersari. Primum enim aliquid dicitur juri naturæ contrarium, quod repugnat homini, quatenus animal est, & hoc modo sine dubio non est contra ejus naturam uxorum multitudo. Alio modo dicitur aliquid juri naturæ repugnare, quod repugnat homini quatenus est particeps rationis. Hoc autem bifariam contingere potest, aliquando enim omnino aduersatur rationi, ut mendacium, aliquando vero aduersatur magna ex parte, at vero non semper, immo nonnumquam potest juste, & ex præscripto rationis fieri, & hoc posteriore modo repugnat multitudo uxorum juri nationū, licet enim matrimonium cauſa procreandi liberos præcipue contrahatur, sed illud est maxime necessarium, & conjuges tranquille & sine molestia, & sine rixa vivant, at vero difficile admodum hæc tranquillitas, & pax esse posset, si unus, & idem vir multas uxores haberet. Quamvis autem hoc ira sit, non tamen hæc uxorum multitudo adeo aduersatur rationi, ut cum gravissima aliqua cauſa occurrit, non possunt simul multæ uxores ab uno, & eodem homine duci, dummodo accedat Dei Opt. Max. dispensatio, a quo matrimonium ipsum est institutum. Cum igitur priscis illis temporibus, pauci essent, qui veram Dei cognitionem haberent, voluit ipse Deus, ut Populus ille ab ipsis Patriarchis profectus, quem sibi propria quadam ratione delegerat, numero augeretur, & hanc ob cauſam sæpe dispensavit tam cum ipsis Patriarchis, quam cum aliis multis, qui ab eisdem genus duxerunt. Vide de hac re D. Thom. in 4. dist. 33. art. 1. & alios dd. Theologos in ead. dist.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXIX.

IN hoc titulo, & in titulo proximo nihil occurrit præter illa, quæ supra notata sunt tit. XI. & XVIII.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXX.

Quamvis ii, qui mortuis primis uxoribus alteras ducunt, ad sacros ordines accedere nequeant, & illæ nuptiæ posteriores benedici non soleant, tamen certum est sine peccato secundas, immo tertias, & quartas nuprias [dummodo quis simul duas uxores non habeat] contrahi posse. Licet autem hoc nullam dubitationem habeat, tamen Græci solebant illi pœnitentiam imponere, qui secundam, aut tertiam uxorem ducebant, ut patet ex D. Basilio in epist. ad Amphilochium, cuius hæc sunt verba: *Trigamorum, & polygamorum eundem canonem definimus, quem in digamis proportione. Annum enim in bigamis, aliis vero duos annos trigamos autem sæpe tribus, & quattuor annis segregant. Ideo autem non amplius conjugium, sed polygamiam appell-*

appellant, vel potius castigatam fornicationem, C. Hæc & alia ibi Basilius. Multa item eodem loco affert Theodorus de pœnis, quæ deinceps multis post annis eisdem bigamis, & trigamis, atque pollygamis fuerunt a græcis constitutæ, quæ sane gravissimæ sunt, brevitatis causa eos omitti. De hac item bigamorum, & trigamorum pœnitentia meminit concilium Neocæsariense c. 7. Presbyter, inquit, in convivio secundarum nuptiarum non interfit, quia si pœnitentiam petant conjuges propter convivium, videtur consensisse. Item in c. 3. De iis (ait idem concil.) qui in plurima matrimonia incident, tempus quidem præstitutum esse. Sed conversio, C. pœnitentia eorum tempus contrahit. Idem etiam appetet ex concil. Laodiceno c. 1. in quo hæc sunt verba: Oportere ex ecclesiastico canone, eos, qui libere, C. legitime secundo matrimonio conjuncti sunt, C. non clam uxores duxerunt, cum exiguum tempus præterierit, C. orationibus, C. jejuniis vacaverint, eis ex venia dari communionem. Hæc est Græcorum sententia. Sed certe, quidquid ipsi sentiant, secundum matrimonium nullo modo (nisi forte ex alia causa habeat peccatum adjunctum) immo neque tertium reprehendi potest. Quod patet tum ex D. Paulo ad Corinthios capite 7. & ex multorum conciliorum, & Pontificum decretis, quæ sunt in hoc titulo, & tandem ex communis Ecclesiæ consensu. Quamvis autem D. Thomas in 4. dist. 42. q. unic. art. 4. in solut. 2. arg. sentiat secundas nuptias aliquam turpitudinem præferre, quatenus carnis (ut ipse ait) fragilitatem designant, tamen neque ipse dicit, neque ullus aliud eum peccare, qui ad secundas nuptias accedit.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXXII.

Certum est, bigamum non solum ad sacros ordines pervenire non posse, verum etiam neque ad minores, ut patet ex c. 17. Apostolorum, & ex Syrio, Zosimo, & ex aliis Pontificibus, quorum decreta continentur in libro de ordinibus tit. de bigamis non ordinand. Licet autem res ita se habeat, nihilominus tamen olim si jam quis ordines suscepereat cum secundam uxorem duxit, ex indulgentia siebat illi potestas fungendi munere proprio illorum ordinum, quibus fuerat initatus, dummodo ad ordines sacros non ascenderet. Et quamvis in Concil. Tolet. I. c. 3. concedatur huic bigamo facultus ascendendi ad subdiaconatum, tamen eo tempore subdiaconatus non numerabatur inter sacros ordines, ut appareat ex Innocent. III. in c. A multis, de ætat. & qualit. ordinand. cuius hæc sunt verba: *Siquidem Urbanus Papa Primus decrevit, ut nullus in Episcopum, nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus fuerit, eligatur. Sacros, inquit, ordines Diaconatum dicimus, C. presbyteratum, hos squidem solos, primitiva Ecclesia legitur habuisse, C. e.* Immo neque ad subdiaconatum poterat ille pervenire, nisi forte ne-

cessitas aliqua instaret, ut est apud Martinum Bracarens. c. 43. cuius canon continetur in hoc tit. Sed obsolevit jam hæc consuetudo, nulloque modo bigamus ordinari potest, nisi forte Pontif. Max. dispenset, ad quem tantum pertinet de hac re dispensare.

In Partis II. Lib. XVII. Titulum XXXIII.

SEmper Ecclesia voluit Matrimonia publice celebrari, abhorruitque ab occultis nuptiis. At vero licet matrimonia clandestina prohiberentur, ut appareat ex hoc tit. & in primis ex c. 1. quod depromptum est ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. tamen ante Concilium Tridentinum, si re ipsa matrimonium clandestinum contrahebatur, sane valebat. Immo cum sponsalia antecesserant, postea per solum concubitus affectu, ut vocant, maritali secutum matrimonium erat firmum, neque poterat dissolvi. Quod tam notum est in jure, ut supervacaneum sit id probare. Attamen in Concilio Tridentino cum viderent Patres peccata gravissima, quæ ex his matrimoniis clandestinis oriñ solebant, decreverunt ne deinceps hujusmodi matrimonia rata essent, formamque statuerunt contrahendi matrimonia, ut patet ex sess. 24. cap. de reform. matrim. in quo multa extant de parocho, & de duobus, vel tribus testibus, qui matrimonio interesse debent, quæ quoniam notissima sunt silentio prætermitto. Quare multa, quæ oīn in hac disputatione de clandestino matrimonio faciebant negotium, modo jam nullam habent difficultatem.

Præter impedimenta, quæ in hoc libro continentur, sunt etiam alia in jure, nimirum impedimentum justitiae publicæ honestatis, item cognitionis legalis, de qua extat in decretalibus titulus de cognitione legali, atque etiam in potentia coeundi, de qua est titulus de frigidis, & maleficiatis, sunt & alia nonnulla: sed quia in hoc libro non est mentio de his, consulto illorum commemorationem prætermittimus, neque enim nobis propositum est ea omnia, quæ ad matrimonium spectant (quæ disputatio longissima est) sed tantum ea, quæ ad hos titulos pertinent, breviter explicare.

** In Partis II. Lib. XV. Titulum II.*

NON tollitur in hoc titulo omnino luctus, & dolor, quem homines suscipere solent ex illorum obitu, quos caros habent. Nam licet fides catholica doceat animos immortales esse, & absoluto hujus vitæ cursu adhuc vivere, & in locū sibi destinata migrare, & eos, qui ex præscripto Christianæ religionis vitam egerunt, felices in altera vita futuros esse, tamen homines natura dulce solent dolere, & ægre ferre illorum absentiam quos amant. Cum autem hic dolor moderatus est, non omnino reprehendendus videtur. Neque vero his repugnat verba D. Pauli ad Thessalonenses 4. qui ait: *Nolumus autem vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut Cœteri, qui spem non habent.* Neque enim ibi jubet D. Paulus Christianos nullo modo contristari, sed non contristari infidelium more, qui animos

G g g 2

cum

* Que sequuntur notationes, quamquam ad Librum XV. de Extrema unctione, Funeribus, & Sepulturis pertinet, hoc loco posita sunt, quia Libriorum errore prætermissee fuerant.

cum corporibus interire existimabant. Et certe, ut rationes, & argumenta omittam, extant exempla virorum virtute praestantium, qui in suorum funere magnum doloris significationem dederunt; ut Abraham in obitu conjugis Sarra. Jacob item cum accepisset Josephum filium e vivis excessisse lacrimas tenere non potuit, multis dies fuit in luctu, & in squalore. Præterea idem Josephus obitum Patrii constat acerbe tulisse. Omitto modo Davidem, & alios viros justos, quos ob eamdem cautam divina scriptura narrat magnam lacrimarum vim profudisse. Immo etiā post Christi mortem non defuerunt, qui sanctorum hominum mortem deflerent, & non stulti aliqui, aut improbi, & flagitosi, sed vii boni, & justi. Sepelie-
runt Stephanum (ait D. Lucas in actis Apostolorum, a. 7.) vii timorati, & fecerunt plantum magnum super eum. Item cum D. Petrus mortua Dorcada religiosa scemina Joppem, ubi ipsa mortua fuerat, venisset, circumsteterunt eum, inquit ibidem D. Lucas, omnes viduae flentes, & osten-
dentes tunicas, & uestes, quas faciebat illis Dor-
cas. Et ut alia antiquiora exempla omittam, cer-
te extant item multa recentiora ex quibus patet viros multos sanctissimos non sine dolore, & genitu suorum funera celebrasse, ut appareat ex D. Ambroso in . . . de obitu Satiri, & ex D. Bernardo de obitu Gerardi fratris. Itaque ut ex his omni-
bus exemplis colligere possumus, mirum non est si quis in funere filii, aut parentis molestiam aliquam capiat, & merore afficiatur. Illud indi-
gnum, & absurdum est, ut lamententur Christiani Ethnicorum more: aliena enim sunt ab homine christiano detestabilia illa genera lugendi, quibus multi antiqui utebantur, nimis muliebres gena-
rum lacerationes, pectoris, femorū, capitis percussio-
nes, & alia hujusmodi, quæ D. Chrysostomus me-
rito (a) variis in locis reprehendit.

Cujus sententia ea est, quam modo protulimus: ait enim, se non Serm. 3. in prohibere, quominus homines mereant, & luge-
1. cap. ad ant, sed improbare nimium luctum, & nimi-
philipp. & um merorem. Itaque ejulatus illi, summaque illa acerbitas, quam multi in funere suorum præ-
fesarunt, ab omnibus merito reprehenduntur, ut preter D. Chrysostomum constat item ex decretis, quæ sunt in hoc titulo. Nam & Pontianus, qui non improbat merorem in funere cuiusdam Episco-
pi, loquitur de eo moderato: Anastasius vero invehitur in luctum nimium, ait enim: Nos au-
tem, qui novimus, qui credimus, & docemus contristari nimium de obeuntibus non debe-
mus &c. Præterea in Concil. Tolet. III. quod item extat in hoc titulo prohibitur ut appetat, & re-
prehenduntur ea omnia, quæ doloris vehementis significationem dant, quod perspicuum est, si verba diligenter perpendantur. Itaque ut omnia in pauca confera, luctus moderatus non videtur alienus a consuetudine Christianorum, olimque in mortuorum funere psalmis modulis lugubribus cane-
bantur, quem morem etiam hac nostra ætate servari constat. Videmusque ipsos Sacerdotes, qui Missæ Sacrificium celebrant, uestibus sacris uti nigro colore præditis, & denique in ipso fune-
re omnia fere tristitiam præferre, & quæcumque

lætitiam videntur afferre de industria ab exequiis mortuorum arceri.

In Partis II. Lib. XV. Titulum III. C IV.

Ex his duobus titulis appareat, & ex aliis San-
ctorum Patrum testimoniosis, & ex antiquissimo Ecclesiae usu, & traditione, sacrificia, & pre-
ces utilitatem mortuis afferre. Cum autem cer-
tum sit, eos, qui in cælis vitam agunt cum Deo felicem, precibus nostris non indigere, neque eas-
dem preces, aut sacrificia eis prodesse, qui apud inferos cruciantur, sequitur necessario, ut locus aliquis sit, quem nos Purgatoriū vocamus, in quo qui habitant ex precibus, & sacrificiis utilitatem percipere possint, sunt sane multa apud antiquos de iis precibus, & Sacrificiis, & de ipso purgatorio. Sunt item in jure novo præsertim in Concil. Florent. in quo ut alia multa omittam ex decreto Concilii, sive in literis unionis hæc extant verba, *Si vere paenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis paenitentia fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas paenit purgatoriis post mortem purgari, & ut a paenit hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesie instituta.* Hætenus Concil. Florent. Extant etiam multa in Concilio Tridentino Sess. 6. can. 3. & Sess. 25. in principio in decreto de purgatorio, ubi Patres loquuntur non tamquam de re nova, & nuper Ecclesie nota, sed tamquam de antiquissima, & pris-
cis temporibus usitata, ut patet ex verbis ejusdem Concilii, quæ hujusmodi sunt: *Cum catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex sacris literis, & antiqua Patrum tradizione in Sacris Conciliis, & novissime in hac oecumenica Synodo docuerit Furgitiorum esse, animaque ibi detentas fide-
lium Suffragis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari, præcipit S. Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam a Sanctis Patribus, & sacris Conciliis traditam a Christifidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant.* Hæc Concilium Tridentinum. De hujus autem rei antiquitate præter decreta, quæ in hoc titulo continentur, ex quibus nonnulla sane vetustissima sunt, possunt multa afferri de hujusmodi Sacrificiis, & orationibus, quæ apud gravissimos, & antiquissimos scriptores extant, quale illud est D. Augustini lib. 9. Confessionum cap. 12. ubi de matre Monica loquens hæc verba profert: *In eis precibus, quas ibi fidimus, cum offerretur pro ea Sacrificium pretii nostri, iam juxta sepulchrum posito cada-
vere num quam flevi.* Item eod. lib. c. 11. inducit eandem Monicam hæc verba profereantem: *Illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis.* Præterea idem Augustinus mentionem facit de oblationibus pro mortuis in epist. 62. ad Aurelium Episcopum Carthagin. Sunt etiam multa de precibus, & eleemosynis pro defunctis apud D. Cyprianum lib. 1. Epist. 9. ad Clerum Turnitanorum, in qua hæc verba profert: *Epi-
scopi anteceſſores nostri religioſe, & ſalubriter pro-*

providentes censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offeratur pro eo, vel Sacrum pro dormitione eius celebretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & ministros voluit avocare. Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datum Germinium Faustinum presbyterum auctoritatem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequenteretur, ut Sacerdotum decretum religiose, & necessario factum servetur a nobis. Meminit etiam Tertullianus in lib. de corona militis de oblationibus: *Oblationes, inquit, pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Idem etiam in libro de Monogamia: *Enimvero pro anima ejus oret, & refrigerium interim ad apostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitione ejus.* Hac Tertullianus antiquissimus auctor. Sunt etiam alia multa apud D. Ambrosium, apud D. Gregorium, apud Eusebium, & apud alios viros gravissimos, ex quibus haec consuetudo perpetua Ecclesiae orandi, & offerendi Sacrificium pro defunctis aperte probatur. Immo ut constat ex Concil. Carthag. III. c. 29. hic mos offerendi, & orandi pro mortuis frequentissimus fuit, & si fiebat commendatio defuncti mane, tunc offerebatur Sacrificium, & si tempore meridiano etiam prandium sumperant Sacerdotes, fiebat tantum orationibus. Hec autem sunt verba contextus: *Ut Sacraenta altaris, non nisi a jejunis hominibus celebrarentur, excepto uno die anniversario, quo cena Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive Clericorum, sive ceterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt jam pransi invenientur.* Haec etiam Concil. Carthag. c. 29. qui non est in hoc tit. quoniam proprie ad librum de Eucharistia videtur pertinere. Adeo autem viguit hic usus offerendi Missam Sacrificium pro defunctis, & etiam si ipse Sacerdos Missam, jam celebrasset, dum modo ablutionem non accepisset, si defuncti corpus ad Ecclesiam deferebatur, posset pro eo Sacrificium iterum facere: de qua consuetudine recentiores non-

(a) *Patr.* nulli mentionem faciunt (a), sed ea jam obsoleta in 4. dist. 95. vit.

g. 2. & S. In Partis II. Lib. XV. Titulum XII.
Antonin. 3. p. 11. 13. c. 6. §. 4. Navar. 25. num. 87. **P**raeter delicta haec, quae continentur in hoc titulo, quorum causa privatur quis sepulchrum ecclesiastica, illud certum est, eum, qui aperitur moritur in peccato mortali, ut si quis in adulterio reprehensus subito occiditur, non posse in Ecclesia sepeliri, ut patet ex D. Greg. lib. 4. Dialogorum c. & est apud Gratianum in c. *Quibus*, & in c. *Cum graviat*, 13. q. 2. & est item ex Nicol. ad Consult. Balgar. c. 99. qui infra in titulo proximo c. 1. continetur.

In Partis II. Lib. XV. Titulum X.

Erant olim coemeteria sepeliendis Christianis designata, fueruntque Romae nonnulla principis illis temporibus magni nominis, habebant-

que adjuncta aedificia, in quibus Pontifices aliquando commorabantur. Postea autem, cum Imperatores Christianam religionem suscepissent, liberumque esset Christianis, etiam in urbibus palam templa construere, vix a principio ullus in ipsis basilicis, tive templis sepeliebatur, praeter homines aliquos sanctos, & de ipsa religione christiana optime meritos, immo neque haec a principio in templis, sed in templi porticibus sepulchris condebantur, ut patet ex Constantino Magno, qui Constantinopoli in portico templi Apostolorum fuit sepultus. Sed postea haec consuetudo paulatim percrebuit, non solum viri virtute, aut auctoritate praestantes, verum etiam dignitate inferiores tum in porticibus, tum etiam in templis sibi sepulchra deligebant. Quam ob causam in nonnullis conciliis, ut patet ex hoc tit. cautum est ne id amplius fieret. Sed more antiquo Christiani in coemeteriis sepelirentur. At vero haec decreta cum non essent conciliarum generalium, neque Pontificum Max. aut non fuerunt usu accepta, aut si recepta sunt, consuetudine tandem contraria fuerunt sublata. Vixque jam in multis provinciis Christianorum cadavera (excepis fortasse hominibus plebeis) extra Ecclesiam sepeliri solent.

In Partis III. Librum I.

Actum est haec tenus in secunda parte de rebus; restat modo ultima pars hujus collectionis de Judiciis. Licet autem haec tercia pars a judiciis nomen habeat, complectitur tamen ea omnia, quae attinent ad crimina, & ad poenias, & supplicia, quibus ipsa crimina in jure Pontificio olim vindicari solebant. Neque vero temere, & inconsulto haec omnia simul fuerunt conjuncta, cum enim ad judicium tum aliæ controversiae leviores, tum etiam causæ capitum deferre soleant, consentaneum videtur ea item, quae ad crimina spectant, ad disputationem de judiciis adjungere. Et tandem, quia iis, qui de criminibus convincuntur, solent poenæ constitui in jure, merito ultimo loco ea omnia decreta adduntur, quae de poenis antiqui Patres, & vetera concilia statuerunt. Constat itaque haec disputatione, quae in his ultimis libris continetur, ex tribus potissimum partibus. A principio enim totus judiciorum ordo in quocumque causarum genere profertur, deinde varia criminum genera in medium proponuntur. Ad extremum vero agitur de suppliciis, quae sunt eisdem criminibus constituta.

In prima parte, quae propria est de judiciis, existant quinque libri. Primus est de actionibus, sequitur deinde alter de accusationibus. Cum enim in hac causarum genere multa sint propria, & ab aliis controversiis distincta, judicique ipsi alium morem persæpe in rerum cognitione tenere soleant, operæ pretium fuit antiquorum usum in accusandis, & defendendis reis singillatim replicare.

Quoniam autem in omni disceptationum genere illud necesse est, ut testes, & aliæ probations adhibeantur, additur tertius liber de probationibus, & tandem, quia postquam probations in medio adducuntur, actorque, & reus nihil

am.

amplius habeant, quod in judicium deferant, illud reliquum est, ut sententiam Judex pronuntiet, collocatur extremo loco liber de sententiis, quocumque coniuncti sunt varii tituli de appellationibus, quibus & hic liber, & tota hæc disputatio proprie de judiciis absolvitur.

Sed antequam longius progrediamur, occurrunt nonnulla, quæ videntur negotium facessere. Primum enim timeo, ne ordo hujus disputationis aliquibus improbetur, cum longe absit ab eo, qui tam in collectione Gregorii IX. quam in aliis collectionibus, quæ postea secutæ sunt, teneri solet, sed de hac re jam alias dictum est de industria eum ordinem appositum esse, quia ad res facile inveniendas. Videtur in primis aptus, nulla habita ratione alterius collectionis. Deinde neque alii juris Pontificii veteris collectores, quorum magnus extat numerus, sequuti sunt ordinem, qui in collectionibus, de quibus mentio modo facta est, reperitur, ut appareat ex Gratiano, Burchardo, & aliis, qui vulgo circumferuntur, & ex Anselmo, & ex multis aliis, qui nondum aperte in luceat prodierunt, sed manuscripti apud viros doctos reperiuntur. Immo hi omnes collectores varii sunt, nullusque fere cum altero in titulorum, & canonum dispositione consentit. Quare mirum non est si item modo novus ordo fuerit excogitatus, præsertim cum utilis admodum [nisi mea me fallit opinio] futurus esse videatur.

Deinde illud item dubitationem facit, quod videntur deesse multa, & sane magni ponderis, & momenti, quæ in aliis collectionibus item juris civilis extant, & sunt ad causarum explicacionem, & cognitionem maxime necessaria, ut patet ex variis titulis maximi momenti, qui in hac collectione defunt, quos brevitatis causa non adfero, cum omnibus, qui in jure versantur, sint notissimi. At vero facile est hunc nodum solvere, neque enim Patres illi antiqui in litibus, & controversiis magnam curam, & operam adhibeant, sed in eo maxime laborabant, ut sublatis dissidiis homines in pace degerent, & a litibus, quæ causam dare solent odiis, & inimicitias, quantum possent abstinerent.

Video etiam illud obiici posse, quod revera magnam dubitationem habet, non si attente rei perpendatur, magna pars horum decretorum, quæ in hac disputatione de judiciis adferuntur, sunt ex Epistolis antiquorum Pontificum, qui post Clementem Romanæ Ecclesiæ præfuerunt, & certe multi viri docti hac nostra ætate non multum auctoritatis illis tribuunt, multisque argumentis eos suspectas esse, immo fictas, & commentitias arbitrantur. Graviterque in Isidorum Mercatorum invehuntur, qui primu[m] illas in locem protulit, cum antea ignotæ essent, & in collectionibus antiquis non extarent, ut appareat ex corpore canonum, qua collectione olim Ecclesia Romana multum utebantur, & item ex collectionibus aliis antiquissimis, cuiusmodi est collectio Fernandi facta, qui ætate Justiniani Imperatoris floruit, & item ex alia Cresconii apud quos nulla harum epistolarum mentio reperitur.

Afferunt sane illarum epistolarum fragmenta, & decreta multa recentiores omnes, & in variis Conciliis, qua paulo post Caroli Magni ætate habita sunt, multa ex hujusmodi Epistolis afferruntur, ut appareat ex concilio Coloniensi III. habito sub Carolo III. & ex Concilio Triburensi habito sub Arnulpho Imperatore, & ex Concilio ... in quibus multa de prompta sunt ex hujusmodi Epistolis, posteaque item Burchardus, Tito, & aliis decretorum collectores, & præter ceteros Gratianus magnam Canonum vim ex his epistolis in suas collectiones sive decreta transfluerunt; sed quamvis hi omnes magni eas epistolas faciant, eisque plurimum tribuunt, tamen ut dixi multæ in contrarium sunt sententiae, variisque rationibus, & argumentis illarum auctoritatem conantur evertere. Ego sane licet multa mihi in mentem veniant, nolo meum judicium interponere, neque quidquam de hac re decernere, neque video ad Canonum auctoritatem, qui de promuntur ex his epistolis, necessarium esse probare ab illis sanctis veteribus Pontificibus nimis ab Anacleto, Alexandro, Urbano, & aliis hujusmodi scriptas fuisse, nam fingamus modo cogitatione nos esse scriptas ab illis Pontificibus, fateor tunc non posse auctoritatem ab illis habere, cum earum autores non extiterint, sed nihilominus cum hujusmodi epistolæ, & canones ex eisdem de promptæ vulgo circumferantur, sintque in ore omnium, & non heri, nec nudiustertius, sed quingentis, & quinquaginta ab hinc annis in lucem prodierint, & inter canones Pontificios a Doctoribus referantur, & in decreta Patrum ab omnibus existimentur, & in judiciis, & consiliis dandis illorum auctoritatem omnes Doctores Juris Pontificii uti soleant, certe cum hæc omnia ita sint, licet demus non esse, ut dictum est, hos canones illorum Pontificum, erunt tamen, cum omnium usu sint recepti, veluti conuetudines quedam ecclesiasticae communi consensu comprobatae, quibus ipsa longissima annorum series tantæ auctoritatē tribuit, ut illis merito parere debeamus, potestque hoc exemplo legum Romanorum confirmari. Videntur enim Gallos, & Hispanos, qui revera modo legibus Romanis non tenentur, tamen magna ex parte illis uti in judiciis & in contractibus, & in consiliis dandis, quod licet si ita sit, nemo tamen ditet eos teneri tamquam legibus Romanis, cum non sint in ditione Romanorum, neque ulla ex parte pareant Imperatori, sed obstringuntur tamquam legibus quemadmodum propriis ipsorum nationum quas ipsi communi omnium consensu longo usu sua fecerunt. Quare non jam tenentur illis ut legibus Ulpiani, & Pauli, immo neque legibus Justiniani, qui easdem comprobabit, sed ut legibus jam propriis Hispanis, & Gallis. Quare ut jam ad propositum revertamur, nihil est, quod nos conturbet suspicio, quam multi de epistolis veterum Pontificum habent, nam licet hæc disputatione de judiciis plurimum illarum decretis utatur, tamen non præterea quisquam illos reiicere, aut parvi facere potest.

Deinde in hujusmodi rebus non sunt profecto sum-

Summa diligentia investigandi, & examinandi au-
tores ipsarum legum, & canonum, esset enim
id difficile nimis, & laboriosum, videtur enim
satis esse opinio hominum communis tot an-
norum consensu ab omnibus fere communiter
comprobata, potestque hoc confirmari aperte ex
lege Barbarius Philippus, D. de offic. Prætor. &
ex his quæ Bartol. & alii DD. Juris Civilis in eam-
dem legem observant. Immo & Theologi cum
Parochus aliqua ex caussa non videtur omnino
certus esse, tamen quandiu se gerit, ut Parochus
ex communi Plebis consensu & Ecclesia illa non
oblixit, acta ipsius Parochi vim habent, & si
excipit confessiones subditorum non sunt repe-
tendæ, sed valet absolutio, ut est communis
Theologorum opinio. Quare ut omnia in pauca
conferam, nulla videtur esse caussa, cur canones
hujusmodi Pontificum improbari debeant, cum
in ore omnium sint, & ab omnibus magna ex par-
te comprobentur.

Sed jam his omissis quæ ad universam hanc disputationem pertinere videbantur, ratio nunc nostri munera postulat, ut de singulis libris ali- quid dicamus. Occurrit autem statim in ipso initio liber, qui proprie inscribitur: *De judiciis.* In hoc autem libro accedunt primum varii tituli in quibus avocantur homines aliquibus de concertationibus. Cum enim ex hujusmodi controversiis, quæ in judicium deducuntur, odia maxima, offenditio- nesque gravissimæ (ut alias dictum est) exi- stente soleant, nihil olim præcis illis Patribus anti- quis fuit, quam homines a dissidiis, & contentio- nibus, ad pacem, & concordiam transferre. Sunt itaque multa decreta, in quibus Christiani, & præter ceteros Clerici, atque Monachi, & alii hujusmodi, qui in primis virtutis specimen præ- bere debeant, aliquibus, quantum fieri potest, abstinere jubentur. Hi autem canones statim fe- re in ipso libri initio collocantur, ex quibus con- stant tituli quoque, nimirum de concordia, & de dissidentium reconciliatione, item alii de vi- tandis litibus, & de instituendis familiariter, & benevolè controversiis. Sed quia vix fieri potest quin per læpe, aut propter aliquorum hominum intolentiam, aut propter negotiorum difficulta- tem, aut propter alias caussas graves lites sint, & ad judices deferantur, sequitur statim ipsa di- spratio de judiciis.

Quoniam autem in controversiis dirimendis, illud caput est, ut Judex sit, vir bonus, & peritus nullamque vel pretio, vel precibus, vel ulla ani- mi perturbatione officii partem prætermittat, adscribitur titulus generalis de Judice, in quo qualis ipse debeat esse, & quod sit munus ipsius, aliaque hujusmodi proferuntur. Deinde adduntur alii tituli, de iis, qui propter varia impedimenta judices esse nequeunt, & postea de aliis, qui legum præscripto Judices sunt, quales sunt Ponti- fices tam maiores, quam minores, & alii tum ordinarii, quibus tandem adjungitur titulus de ju- dicibus electis. Mos enim fuit olim, ut Concilia Provincialia cogerentur bis quot annis, ut patet ex Concilio Nicæno cap. 5. & ex can. 37. Apost. & ex can. 20. Concil. Antioch. & ex D. Leone

epist. 32. cap. 7. Et postea si non bis, semel tan- tum, ut appareat ex Concil. Nicæno II. cap. 6. & ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. 6. cu- jus decretum est in cap. *Sicut olim*, de accusat. & ex Carthag. III. cap. 2. & ex aliis multis Conci- liis. Solebat itaque Concilium haberi tum ob alias caussas, tum etiam, ut si essent aliquæ controver- siaz, a Patribus in Concilio tollerentur, ut constat ex eisdem fere omnibus decretis. Quod si caussa erat hujusmodi, ut brevi temporis ipatio cognosci non possit, deligebantur Judices ab ipsa synodo, aut si caussa postulabat ab Episcopo suo Primate, qui rem definirent, ut patet ex Concil. Chalced. cap. 9. ex Lateran. sub D. Gregorio, ex Afric. 6. 7. & 88. ex Milevit. cap. 24. & 28. Si autem hujusmodi Judices consenserunt partium e- rant delecti, non erat ab his provocatio, ut est a- pud eamdem synodum Milevitanam cap. 24. A- fric. cap. 63. & 89. Carthag. cap. 10. Hæc diu de Judicibus electis, quia olim erat magnus illo- rum usus, modo autem ita obsolevit, ut nulla fe- re ipsorum mentio sit.

In Partis III. Lib. I. Titulum IV.

LIcit in hoc titulo, & in eo qui proxime sequi- tur, nonnulli sint canones, qui omnino vi- dentur Episcopos, & alios Clericos, itemque Mo- nachos ab omnibus litibus avocare, ut appareat ex Concil. Carthag. IV. cap. 29. & ex Aquisgr. II. sub Ludov. parte prima cap. 4. Constat tamen non id ita intelligendum esse, ac si numquam quantumvis provocati litigare debeant. Perspi- cuum enim est, munus esse Episcopi, & Abbatis, & aliorum, qui rebus ecclesiasticis præfunt, ea- tueri, & conservare, & ab iis, qui sibi illas teme- re vindicare volunt, diligenter defendere, ut pa- tet ex innumeris pene decretis, in quibus de hu- jusmodi litibus agitur, & forma, quæ in illis te- nenda est præscribatur. Tantumque abest, ut hanc ob caussam ab officio clerici, vel monachi discedant, ut plerumque non possint aliter suum munus præstare. Extantque non solum unus, aut alter canon, sed tituli integri tam jure veteri, quam recentiori de conservandis rebus Ecclesiæ, & de eisdem non alienandis, ut patet supra ex li- bro de rebus Ecclesiæ tit. 28. & apud Gregor. IX. tit. de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. Quare ea, quæ in scriptis proferuntur, ita intelligenda sunt, ut quoad fieri possit, controversiaz, quæ occurunt, sine dissensione, & fine lite consti- tuantur: si autem res, quæ in disceptationem ca- dit, hujusmodi est, ut necessario in judicium sit deferenda, ne odio, aut iracundia, sed animo tranquillo, & sedato negocium ipsum disceptetur nulloque modo auctor, aut reus dolo, aut fraude adversarium circumveniat, ne tergiversetur, mor- ramque, & industriam interponat, sed, ut virum bonum, & vere Christianum decet, æquo animo sententiam ferat, quam Judex juste pronuntiat quantumvis ex suis rationibus aduersetur. Vid. de hac re D. Greg. lib. 8. registr. ep. 58. ind. 3. in qua modum, quem tenere debent Episcopi, & alii juri ecclesiastici, optime explicat: Ait enim: *Sacerdotali proculdubio convenit gravitati, & si quas Ecclesiæ sua caussas habuerit aut pacifi-*

ca eas ordinatione, si fieri potest, aut certe Judge interveniente sine mora definiat: & paulo post: Hortanur, ut contentionem aut cessante iugio finiat, aut certe iratione submota Ecclesiae vestrae actores ad electorum fieri judicium faciatis, ut eorum definitione precedente nec ille contra iustitiam gravari, nec vestra præjudicium videatur Ecclesia sustinere.

In Partis III. Lib. I. Titulum VI.

JAM dictum est in superiori observatione, dandum esse operam, ut controversæ, si fieri potest, antequam deferantur ad Judices, constituantur, afferuntur in hoc titulo nonnulli canones, ex quibus id aperte probatur.

In Partis III. Lib. I. Titulum VII.

QUAMVIS hic titulus proprie ad hunc librum pertinere videatur, tamen quia multa decreta in eo sunt, in quibus præcipue agitur de modo, quem Judex tenere debet in causis capitatis, nimirum cum aliquis accusatur, merito collocatus fuit in libro de accusationibus.

In Partis III. Lib. I. Titulum VIII.

TIN hoc titulo, & in aliis, qui sequuntur, agitur de variis hominum generibus, qui judicare non possunt.

In Partis III. Lib. I. Titulum X.

ADeo certum est laicos non posse de clericis judicare, licet ipsi clerici velint, tamen consentire non valeant, ut patet ex Concil. Carth. III. cap. 9. & est apud Gratian. in c. *Placuit*, 2. q. 1. etiam ex Tolet. III. cap. 13. & est apud eundem. Grat. in c. *Justitia*, eodem, idem probatur ex multis aliis decretis, quæ in hoc tit. & infra libro trigesimo tit. 4. continentur. Præterea ex aliis, quæ sunt in jure novo, ut ex cap. *Si diligenti*, de foro comp. in quo ratio hujus redditur, ut clerici huic privilegio renuntiare non possint, & ex cap. *Significasti*, eod. tit. Licet autem communiter res ira se habeat, tamen aliquando causæ sunt hujusmodi, ut possit Judex laicus Ecclesiae causam cognoscere. Primum cum ipse clericus laicum in jus vocat, tunc enim cum actor forum rei sequi debeat, certe apud Judicem sacerularem erit agenda, ut patet ex c. *Si clericus*, & ex c. *Cum sit generale*, de foro comp. nisi fortasse licet hoc non sit semper verum, ut appareat ex d. c. *Cum sit generale*. Et item quandocumque crimen est Ecclesiasticum, ut heres, aut perjurium, quod nemini dubium est. Deinde potest judex in negotio clerici cognoscere in causa reconvencionis, dummodo civilis ea sit, cum par esse debeat actoris, & rei conditio, ratioque juris postulet, ut utraque causa simul cognoscatur cap. 1. & 2. de mutuis petit. Præterea cum clericus feudum possidet, & dominus feudi est laicus, certe si est controversia de re, quæ pertinet ad ipsum feudum, est cognitio ipsius Principis laici cap. *Ex transmissa*, de foro comp.

Item cum clericus ob crimen aliquod depositus, & degradatus traditur ab Ecclesia Judici sacerulari, ut appareat ex cap. *Cum non ab homine*, de judiciis, cap. *Excommunicamus*, de hereticis, cap. *Falsar.* de crimin. fals. & denique constat ex usu Ecclesiae. At vero sunt aliqui canones, qui

videntur significare in causis criminalibus posse Judices sacerulares clericis manus afferre, ut patet ex Concil. Matiscon. I. c. 7. quod in hoc tit. continetur, & ex c. 2. de foro comp. Sed sine dubio hi canones, & si qui alii sunt similes, intelligendi videntur, aut cum Episcopus, ut modo dictum est, tradit Clericum criminis reum. Judici sacerulari, vel ipse Judex sacerularis in aliquo crimine ipsum apprehendit, tunc enim potest ipsum capere, & ad Judicem ecclesiasticum deferre. Quæ sententia est Panorm. & communis omnium DD. 21. c. *Cum non ab homine*, de judiciis, & confirmatur perpetua Ecclesiae consuetudine. Neque incidit tunc ullo modo Judex in excommunicationem dummodo modum teneat, secus esset, si illum non adhiberet, ut patet ex cap. *Clericis*, juncta gloss. de sent. excommunic.

Hæc sunt, quæ modo occurrunt de causis clericorum, de quibus, ut dictum est, possunt laici aliquando cognoscere. Sed videtur præterea hic titulus præfertim cum in eo laici judices non solum de clericis judicare, verum etiam Ecclesiasticis causis omnino se admiscere prohibentur, videtur, inquam, hic locus suo jure postulare, ut de hac jurisdictione ecclesiastica, & de ejus libertate breviter differamus. Videmus enim hac nostra ætate Judices sacerulares s. pifimæ in rebus ecclesiasticis suam auctoritatem interponere, & de illis cognoscere, scio de hac re nullos viros eruditos, & graves copiose scripsisse. Quare ne eadem quæ ipsi proferunt repetere videar, breviter aliqua de hac jurisdictione ecclesiastica attingam. Primum illud certum est, cum nullo modo laicorum jurisdictioni subjectam esse, extantque innumeri fere canones in jure, ex quibus id probatur, qui cum jam in hoc titulo collocentur, supervacaneum esset modo eosdem repetere, tum item alii multi in jure recentiori, quos, quia notissimi sunt, & ab aliis adferuntur, silentio modo prætermittit. Immo non solum potestas ecclesiastica libera omnino est a judicio laicorum, sed etiam ut constat inter omnes, longe dignior est, & præstantior, ut Gelasius Pont. Max. in epist. ad Anastasium Imperatorem late commemorat, in qua his verbis utitur: *Duo quippe sunt Imperator Augustæ, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam ipsis Regibus hominum in divino reddituri cum examine rationem. Nostri etenim, quod licet praesideas humano generi dignitate rerum, tamen Praesulibus diuinorum, devotus colla submittis, argue ab eis causas tuæ salutis expertis, in qua sumendis cœlestibus sacramentis, eis que ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potius quam præesse. Itaque inter hæc, & illos rem pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Haec tenus Gelasius. Cujus sententia non solum probat, verum etiam eadem verba afferunt Gregor. VII. lib. 8. registr. epist. 21. & Conc. Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. cap. 3. & Concil. Trosl. cap. 2. eamdem sententiam repetit idem Gelasius epist. ad Episc. Oriens.

Orientis in medio, ubi, ut alia multa omittam, his verbis utitur. *Obsequi solere Principes Christiani decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere Principem solitum, non de eorum capitibus judicare.* Hæc Gelasius. His accedit etiam munus esse potestatis sæcularis non solum ecclesiasticam non ladeare, verum etiam eamdem cum res postulat munire, & fovere, ut apparet ex D. Isidoro, cuius sententiam probat, & sequitur Concil. Paris. sub Lud. & Loth. lib. 2. c. 2. *Principes*, inquit, *sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessarie non essent, nisi ut, quod non prævalet sacerdos efficeret per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperaret per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum caeleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi, contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, & ut veneracionem mereatur, virtutem potestas impertiat. Cognoscant Principes sæculi Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt.* Hæc sunt concilii verba, quæ item repetuntur in Concil. Aquitgr. II. sub Lud. parte 4. cap. 2.

Non solum autem extant canones, & decreta, verum etiam exempla perspicua, & aperta, ex quibus apparet quantum antiqui Imperatores, & Reges potentissimi ecclesiasticæ jurisdictioni, & Pontificia auctoritati tribuerint, quam libenterque tum ipius dignitatem defenderi, tum etiam eidem Pontificibus in rebus ad libertatem, & auctoritatem ecclesiasticam pertinentibus obtemperarint. Immo Pontifices ipsi Romani non solum Imperiorum auxilio, & ope usi sunt cum illa indigerunt, verum etiam cum Imperatores Græci, qui Constantinopoli degebant, Apostolicam sedem nequaquam, ut par erat, venerarentur, immo magna ex parte essent hæretici, & ab Ecclesia Romana plurimum dissiderent, ipsimet Pontifices græcis relictis Imperatoribus constituerunt, qui sedem Apostolicam, resque ecclesiasticas tueretur, atque defenderet, ut constat ex Leone III. Pont. Max. qui Carolum Magnum Galliæ, & Germaniæ, & aliarum Provinciarum Regem opulentissimum Imperatorem designaront. Itaque tantum abesi, ut Pontificalia potestas aliqua ex parte minor sit sæculari, quamvis Regia, ut etiam Imperatoria maiestas, qua nulla est apud sæculares major, ab ipso Pontifice manaverit, ipseque Imperatorem creaverit, & ad summum dignitatis gradum evexerit. Nec solum hoc extat exemplum, nam etiam multis post annis cum posteri Catoli Magni vix jam extarent, magnaque esset controversia inter Italos, & Germanos de Imperii dignitate, & nomine, tandem Pontificis auctoritate translatum fuit Imperium ipsum in Othonem Saxonum Ducem Germanum, deincepsque in ejus locum semper Germani Imperatores

Tom. V.

succecerunt, cum enim natio illa illis temporibus fortissima esset, & late pateret, judicarunt Pontifices facili negotio poise Imperatorem Germanum Ecclesiæ opem ferre, & injurias, quæ illi olim ab aliis tyrannis inferri solebant, suis viribus propulsare. Immo ne fortasse aliqua ex causa Imperii dignitas ad alias nationes perveniret, auctoritate Gregorii V. Pont. Max. cautum fuit, ut Imperatorum Germanus, tum a septem Principibus Germanis deligeretur, quem morem a fide Apostolica tunc acceptum tenuit haec tenus, & tenuit ipsa Germania. Scio aliqui hunc deligendi modum non Gregorio V. sed Gregorio X. acceptum referre; sed revera, si negocium diligenter perpenditur, & varia Pontificum monimenta, quæ extant in epistolis Urbani IV. & Clemens IV. & etiam ipsius Gregorii X. aperte considerentur, aperte constat hunc morem eligendi Imperatorem antiquissimum esse, & a Gregorio V. sexcentos ab hinc annos promianasse.

In hac sententia Jean-nos Aventinus, cuius auctoritas, nullius est momenti cum inter hereticos numeretur, sequitur quod illum Onuphrius Paminius.

Sed de hujus rei antiquitate supervacaneum esset modo disputare, cum illud nobis satis sit, quomodocumque res se habeat, Pont. Max. Imperatorem constituisse, & leges designandi illum ipsis electoribus dedisse, illudque præterea addidisse quod haec tenus semper fuit observatum ne quisquam Imperator omnino nominaretur, nisi a Pontifice Max. ejus electio confirmaretur, ipseque ab eodem coronam acciperet, quod adeo verum est, ut etiam hac nostra ætate, quia Pontifices Max. ab ipsis legatis coronam non sumunt, nequaquam inter Imperatores propriae numerentur, sed tantum Reges Romanorum dicantur. Et quod majus est cum modo Germania magna, ex parte a Pontificis auctoritate dilexerit, tamque hæretici superbe contemnunt, nihilominus Electores ipsi, etiam illi, qui hæretici sunt, iis legibus, quæ a Romanis Pontificibus fuerint prescriptæ, parent, totaque Germania Imperatorem ex eisdem legibus constitutum veneratur, & colit. Itaque homines illi quantumvis hæretici adhuc in hac Imperatoris electione sedi Apostolicæ obtemperant, & ejus autum obseruant.

Neque vero in ipsis tantum Imperatoribus eligendis, & confirmandis ipsis Pontificis, & Ecclesiæ potestas summa dignitas eluet, verum etiam in eisdem, cum indigne existant, diligendis ex maximo illo auctoritatis gradu, ad quem fuerunt ab electoribus evecti, appareat id ex variis exemplis, ut ex Henrico IV. qui cum Gregorio VII. superbe obliteret, atque rempublicam ipsam multis incommodis afficeret, ab eodem Gregorio Imperii dignitate privatus fuit, cuius sententiam Electores ita comprobarunt, ut iam ejus locum Rodulfus in Suevia Dux, & postea Rodulfo mortuo ejusdem Henrici Imperatoris filium substituerint, qui revera pulso patre Imperium administravit, & patre ipse paulo post in summa fere inopia mærore consumptus e vita migravit. Item Federicus II. cum graves iniurias cum nonnullis Pontificibus gerisset, illisque bellum in primis Gregorio IX. intulisset, tandem Innocentius IV. convocato Concilio Lugdunensi, illi nomine, & dignitatem Imperii istud

H h h

pult,

put, summoque omnium Patrum consensu alium Imperatorem deligi jussit. Extant de hac re tex. in c. *Ad Apostolicæ*, de re jud. in 6. in quo ipsius Friderici crimina commemorantur, & contra ipsum sententia proferuntur.

His addere possumus Ludovicum Bavariæ Ducem, qui cum sine Pontificis auctoritate Imperatoris nomen sibi vindicare ausus fuisse, quamvis a nonnullis Pontificibus electus, semper ab omnibus fere fuit improbatus, & ejectedus, & tandem sedis Apostolicæ jussu Carolus IV. ab Electoribus designatus, in ejus locum succedit.

Jam igitur ex his perspicuum est, quam late patet Pontificis potestas cum ejus sit, Imperatores tum constituere, tum dignitate privare, cumque certum sit Imperatoriam majestatem, quæ modo apud Christianos viget, omnino a Sede Apostolica fuisse profectam. Neque vero Imperatores tantum, sed etiam Reges potentissimos, & alios Principes ab eodem legitimus constitutos, possumus id probare ex Pipini Regis Francorum electione, tum enim cum adhuc nonnulli extarent ex linea Merovei Francorum Regis, qui primus Galliam in suam rededit potestatem, & item posteri Clodovei, qui primus abjecta Idolatria Christianam Religionem professus est, hique licet essent ex nobilissima illa familia, tamen adeo essent ignari, ut vix in administranda republica diligentiam ullâ adhiberent, sed omnia negotia etiam magni ponderis Magistratibus committerent, ipsique inertes in otio viverent, tandem Principes ipsi Franciæ, ut Republicæ consuluerent, ejusq; Childerico ultimo illius familie Rege designare Pipinum virum strenuum, & rebus gestis, tum suis, tum majorum suorum clarissimorum in Regni fastigio collocare, sed numquam ausi sunt ab Childerico deficere, donec Pontificis Max. auctoritas accessit, quam sequuti Pipinum ipsum statim Regem designarent. Immo hac nostra ætate cum dicitur Colmi Florentiæ Ducis late pateret, & Pius V. Pont. Max. illum magna benevolentia complectetur Romam eumdem accersivit, relictoque minore illo Florentiæ titulo, Etruriæ Ducem vocari jussit, & quamvis Maximiliani Imperatoris legatus aliqua ex parte obstatuerit, tamen postea de potestate Pontificis summa, certior factus, illico cessit, neque amplius repugnavit.

Quoniam autem hæc exempla ex recentioribus temporibus videntur esse sumpta ne fortasse quispiam existimet Pontificiam potestatem, & jurisdictionem ecclesiasticam priscis illis temporibus minorem fuisse, operæ pretium erit nonnulla ex illa ætate, qua primum Imperatores Romanii Religionem Christianam, ipsamque Ecclesiam in honorem habere coeperunt, in medium afferre, immo rem altius repetamus, & quantum nonnulli Imperatoris adhuc a Christi fide alieni, ecclesiastice jurisdictioni tribuerint, breviter explicemus. Primum (ut est apud Eusebium Cæsarien. in lib. ... Ecclesiastice historiæ cap. ...) Cum Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus de hæresi damnatus, a synodo fuisse Ecclesia pullus

ipseque ad Imperatorem Aurelianum Idololatram provocasset, tantum absuit, ut Imperator ipse Paulo hæretico faveret, ut totam cauillam ad Dionysium Pontificem Romanum deferret, que servari juberet in causa Pauli quod ipse decerneret. Itaque Imperator ipse non solum a Religione Christiana alienus, sed Idolorum cultui maxime deditus noluit de negocio cognoscere, sed rem totam sedis Apostolicæ judicio reservavit. Deinde Constantinus Magnus ante quam Religionem Christianam susciperet, cum in Africam magna fuisse exorta de electione Ceciliiani Carthaginensis Episcopi controversia, ipsique Episcopi inter se dissiderent, multique licet immrito eidem Ceciliiano adversarentur, tandem re ad Imperatorem delata, noluit suam auctoritatem interponere, sed ad Melchiadem Pontificem Max. & ad alios Episcopos cauillam cognoscendam detulit. Extant apud Eusebium Epistole Imperatoris, in quibus Sicilia Praefectum jubet quibusdam Episcopis, qui de negotio si nol cum Melchiade judicare debebant, ea quæ ad iter facendum erant necessaria liberaliter præbere, eosdemque in Italianam mittere. Præterea cum iterum, & saepè Africani Episcopi idem negotium Imperatori proponerent, ad ipsumque provocarent, semper ipse ab hoc judicio abstinuit, & ipsi Ecclesiæ cognitionem commisit, ut appareat ex eodem Eusebio lib. ... hist.

His addere possumus id quod in ore omnium est, reperiturque saepetum ab historicis, tum a Pontificibus & synodis facinus illud ejusdem Constantini præclarum. Cum enim jam Religioni nostræ deditissimus in Concilio Nicæno esset, nonnullique Episcopi alios Episcopos accusarent, libellosque ei de variis eorum deliciis offerrent, non solum de illis quidpiam statuere noluit, verum etiam libellos comburit, & neque a se, neque ab alio homine similem potestatem habente, judicandos esse affirmavit. Extant ipsius verba, quæ sane sunt memoriarum digna apud Eusebium lib. 10. c. 1. item apud Zaconem lib. ... Præterea apud Adrianum ad Episcopum Mediomatricum cap. 51. facit item mentionem de eisdem Nicolaus in epistola magna ad Michaelem Imperatorem in principio, & in fine Gregorius VII. lib. 8. registr. epist. 21. & lib. 10. epist. 2. Concil. Parisi. sub Lud. & Loth. lib. 3. cap. 8. & ex Aquiligr. II. sub eod. Lud. part. ult. cap. 5.

Et quamvis nonnulla in ejusdem Constantini verbis apud hos auctores sit varietas, tamen eadem apud omnes est sententia. Omnesque consentiunt ipsum nullo modo hujusmodi judicium ad se pertinere ipsis Episcopis significasse, & ut alias omittamus ita Gregorius VII. dicta epist. 21. lib. 8. hoc factum commemorat: *Hæc, inquit, Constantinus Magnus Imperator omnium Regum, & Principum fere torius orbis Dominus evidenter intelligens in sancta Nicæna synodo post omnes Episcopos ultimus residens nullam judicij sententiam super eos dare presumpsit, sed illos etiam Deos vocans non suo debere subesse judicio, verum se ad illorum pendere arbitrium judicavit. Hactenus Gregorius VII. eadem.*

demque verba ab aliis proferuntur, licet ut dixi paululum immutata. Sed jam omissio Constantino ad alios Imperatores accedamus. Certe mirum est quantum antiqui illi omnes rebus ecclesiasticis tribuerint, quamque liberae permiserint, quamvis potentissimi essent, de rebus ecclesiasticis Episcopos judicare, appareat hoc ex synodis, in quibus negotia ecclesiastica agebantur, tantumque aberat, ut Episcopi ad Imperatores causas deferrent, ut in Concilio Sardicensi, quod tantæ auctoritatis est, ut inter cœcumenica numeretur, prohibeantur Episcopi ad Imperatorem se conferre, nisi fortasse gravissima aliqua causa occurrat, neque vero hoc, quod de causa dicimus, intelligendum est de lite, vel accusatione, nam hujusmodi negotia ut dictum est in synodis tractabantur, neque ullo pacto ad aures Imperatoris accedebant, ut patet ex Gelasio ad Episcopos Ardanæ in medio, & ex aliis decretis, quæ numerare longum esset. Itaque non est mentio in Concil. Sardicensi de hujusmodi causis judicialibus, sed necessitate aliqua magna Ecclesiæ, quæ Imperatoris auxilium postulate videretur, vel si fortasse aliquis Episcopus Imperatoris literis fuisse invitatus, ut patet ex eod. Concil. cap. 7. alias 8. & cap. 21. alias 11. illud etiam necessarium erat, ut rem ad Episcopos Provinciæ, & præcipue ad Metropolitanum deferret, & nequam sine illorum facultate, & literis discederet, ut appareat ex eod. cap. 21. Sardicensis Concil. & Antioch. cap. 10. & est apud Grat. 23. q. 8. cap. Si quis Episcopus, 27.

Tantum autem Imperatores illi antiqui Ecclesiastice potestati tribuebant, ut etiam nonnulli, qui hæretici fuerunt, præfertim Ariani, Episcopis, & Synodis ejusdem sectæ omnia negotia ecclesiastica committerent, & ab iisdem definire vellent, ut patet ex Constantio, & Valente Imperatoribus, & ceteris, quæ postea in varias hæretes inciderunt. Scio nonnullos violentia usos fuisse, non solumque Episcopos ex suis Ecclesiis expulisse, verum etiam eosdem in exilium ejecisse variisque calamitatibus vexasse, ut patet ex Constante Imperatore hæretico Monothelita, qui Martinum Pont. Max. Chersonam in exilium pepulit, immo & ex Justiniano, qui Vigiliū item Pontificem Max. multis affectit injuriis, & Anastasiū Antiochenum Episcopum virum omni laude præstantem Episcopatu spoliavit. Possum item alios commemorare, qui res ecclesiasticas, totamque Pontificum potestatem superbe contemplerunt, & pro nihilo putarunt, sed hæ omnes certum est ab officio discessisse, & non jure, sed armis, & potentia in Pontifices investitos fuisse, qui tamen etiam in hac vita, ut aliis essent exemplo, dederunt magna ex parte poenas temeritatis suæ, nam ut omittam Constantem hæreticum etiam Justinianum in multas incurrit calamitates, & quod gravissimum est etiam in hæresim paulo antequam moreretur, quamvis multi illum, quia jam tunc confessus erat fere senectute, tamquam delirum, & mentis impotem ab hæresi excusare soleant. Sed jam hos, & alios hujusmodi, qui non jure, sed injuryia, & vi, atque potentia contra po-

testatem ecclesiasticam iussi sunt, omittamus, certum est reliquos Imperatores magnam potestatem ecclesiasticam fecisse, tantumque illi tribuisse, ut nullo modo suam auctoritatem, ut supra dictum est, in negotiis ecclesiasticis interponerent, sed liberam facerent potestatem definendi res omnes ecclesiasticas ipsis Pontificibus, & aliis, ad quos pertinerent. Itaque cum summa potestas resideat in Pontifice Max. qui in locum D. Petri succedit, a quo ut est apud D. Leonem^(a) Epist. 87. ad Episcopos Viennenses, & apud Nicolaum III. in cap. *Fundamenta*, de elect. in 6. quasi quedam capite, bona sua voluit velut Dominus in corpus omne diffundere, ipse præter ceteros de causis ecclesiasticis cognoscebat, & ad ipsum, qui se laicos esse existimabant, appellare solebant.

^(a) Diff.
19. cap. 7.

